niam procedendo cum donatione, seu remissione resultante à testamento, cessabant dicti termini donationis, ac intrabant illi legati.

Verùs tamen respondi pro non imputatione, capiendo dictam testamentariam dispositionem, non tanquam legatum, minusque tanquam donationem, seu remissionem, sed tanquam declarationem, seu probationem animi à principio, ac recognitionem veritatis, & bonæ fidei, quod scilicet pater ex tunc hujusmodi officiorum fructus filio assignaverit pro necessariis expensis, tam circa vestitum, quàm circa extraordinarias occurrentias, eo modo, quo inter nobiles ubique, præsertim verò inter Januenses practicari solet.

Idque evidenter ostendebat ejusdem dispositionis contextus circa expensas nuptiales, ac alias factas pro Anfrano altero filio: Ideoque contenta in testamento, capienda veniebant, potius tanquam declaratio animi, qua cessante, cessat imputatio ad tex. *in l. si quando, & auth. novissima, C. de inoff. testam.* Merlin. *dec.* 323. *in fine, alias dec.* 54. *part.* 5. *rec.* & sæpiùs alibi *hoc tit.* Unde ex ista parte respondi contra requirentes.

Quo verò ad alteram speciem, sortis scilicet principalis, seu pretii officiorum, pariter omninò extraneos dicebam terminos donationis, atque istius distinctiones ad istum effectum fieri solitas, de quibus apud Altogr. *d. contr.* 20. quoniam nulla penitus aderat donatio in genere, sive valida, & irrevocabilis, sive invalida, & revocabilis, unde propterea observabam frustra assumi inspectiones juris, quoties factum omninò cessat; Licèt enim pater in personam dicti filii hujusmodi officia emisset, nihilominus liberè, & absque
9 aliqua restrictione, decretum ad sui favorem adjici curavit; quod operatur, ut persona officialis stare solùm dicatur demonstrativè in ordine ad periculum vitæ, alioque effectus concernentes favorem Principis, officium concedentis; De reliquo autem persona titularis nullum jus in eo habere dicitur, sed totum dominium utilitatis tam in sorte, quàm in fructibus est reservatarii, ut frequenter habetur *sub tit. de regal.* ad materiam officiorum.

Quæstio autem imputationis, cadit solùm, quando pater, absque aliqua decreti reservatione, ad sui favorem emit
10 simpliciter officium pro filio; Cum enim ex hujusmodi acquisitione ita simpliciter facta, resultet implicita donatio, ex iis, quæ in dicta sua materia *sub tit. de regal.* sæpius habentur, tunc intrat difficultas, an quoties fit per patrem ad favorem filii, sit locus imputationi, pro qua etiam (non constito de contraria voluntate) assistit regula ad text. *in l. omni modo, §. imputari, C. de inoff. testam. & l. illud, C. de collat.* Et in specialibus terminis officiorum Romanæ Curiæ Castrens. *d. §. imputari, n.* 5, & cæteri per Merl. *de legit. juxta secundam impressionem, l.* 2. *tit.* 2. *qu.* 24. *num.* 1. Rota apud Merlin. *dicta dec.* 323. *alias* 54. *part.* 5. *recent.* & frequenter in aliis.

Verùm hic non erat casus, dum hujusmodi implicita donatio nullum habebat facti fundamentum, quoniam excepto titulo, quoad vacationem, alioque effectus cum Principe, ipsa officia remanserant in hæreditate testatoris, eodem modo, quo alia bona, unde propterea tali casu, quoties uter-
11 que titulus in eadem persona consolidatur, quia nempè filius, in cujus faciem officium quæsitum est per mortem patris, tanquam ejus hæres, efficiatur etiam dominus pretii, seu utilitatis, censeatur ea elegisse in suam legitimam, eaque fecisse propria, vel potiùs retinuisse titulo hæreditario, adeout ad sui ipsius, vel respectivè hæreditatis damnum cedat vacatio; Verius dicebam periculum cedere in damnum utriusque, & sic tam hæreditatis, & fideicommissi, quàm ipsiusmet filii pro dicta sua rata legitimæ, ex iis, quæ in terminis census vitalitii firmata fuerunt in decisionibus editis in Romana fideicommissi de Marianis coram Albergato, de qua suprà, *disc.* 5. Et in specie officiorum vacabilium cum dicta distinctione sæpius practicavi in aliis Tribunalibus.

Verùm pariter ista superflua erant, atque à proposita quæstione extranea, quoniam testator mandavit in portionem Augustini, intuitu officiorum sibi remanere debentium, dandum esse debitum ad commodum hæreditatis scutorum 6500. quæ summa erat inferior valori officiorum, unde propterea, aliud dicta dispositio non continebat, nisi eorundem officiorum legatum, cum onere solvendi ad commodum hæreditatis dictam summam tanquam per speciem implicitæ emptionis, & venditionis, & consequenter filius acceptando legatum prædictum cum onere, huic se subjecisse dicitur, quamvis casus dedisset dictorum officiorum brevem vacationem, itaut potius damnificatus remaneret, juxta text. *in l. Imperator in princ. vers. enimverò, & l. cum* 12
ab uno, ff. de legat. 2. ubi quod relicto usufructu fundi sub onere solvendi alteri certam summam, legatarius acceptando legatum, efficitur debitor summæ adjectæ, à cujus solutione non liberatur, neque debitor esse desinit ex eo quod per ipsius legatarii mortem, legatum cessat, cum actus posset se habere ad lucrum, & ad damnum, quia nempè longo tempore supervivendo, legati emolumentum longè excedere poterat onus, & firmant communiter DD. in allegatis juribus, *in l. si cum dotem, §. si cum pater, ff. solut. matrim.* de quibus Surd. *cons.* 227. *n.* 26. & *cons.* 254. *num.* 16. latè Hodiern. *contr.* 15. *num.* 38. *cum seq.* & habetur actum *sub tit. de donat. in suppl.* in Romana, seu Albanen. Vineæ, & hic erat casus præcisus, unde propterea imputatio summæ predictæ habebatur pro indubitata, præsertim quia filius expresè acceptaverat paternam dispositionem, ac etiam quia longo tempore supervixerat, adeout emolumentum ab officiis perceptum, onus prædictum longè superaret; Atque hanc dixi videri veritatem juxta quam cum modica alteratione inter partes concordatum fuit.

ADNOT. AD DISC. XV.

VAcatio officiorum vacabilium cujus damno cedat, habetur *sub tit. de hæred. disc.* 7. Et ad materiam decrementi, vel respectivè commodo cedere debeat, conferunt deducta *sub tit. de fideic. disc.* 191. & 162.

VITERBIEN. HÆREDITATIS PRO CARDINALI GUALTERIO, CUM LAURENTIO CHISIO.

Discursus pro veritate in casu decisо per Rotam pro Cardinali, & deinde concordato.

Recepta conclusio, ut extra cautelam, quę vulgò dicitur Soccini, parens non possit prohibere, vel gravare legitimam, quodque prohibitio, vel gravamen non præjudicet filio, quamvis simpliciter acceptet testamentum, nisi legitimæ specialis mentio in acceptatione fiat; An procedat, ubi filius parenti viventi, in actu testandi consensum præstat super testamento, quod talem prohibitionem, vel onus contineat; Et an prohibitio contenta in uno gradu substitutionum, extendatur ad alios gradus.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *Prohibitio detractionis legitimæ facta in testamento, cui filius consentiat; an subsistat, refertur opinio affirmativa.*
3 *Contraria opinio dicitur probabilior.*
4 *De quæstione an valeant renuntiationes, & conventiones inter patrem, & filium super legitima.*
5 *Acceptatio testamenti paterni post mortem patris non præjudicat in legitima sine speciali mentione.*
6 *Quid ubi acceptatio fit vivente testatore, & in ipso actu testandi, referuntur opiniones.*
7 *Reprobatur opinio Menochii, & aliorum constituentium hanc differentiam.*
8 *A dictis Doctorum non licet arguere à contrario sensu.*
9 *An argumentum ductum à consensu præstito exheredationi operetur.*
10 *De differentiis inter casum consensus præstiti exheredationi, & adjectioni oneris legitimæ.*
11 *De prohibitione detractionis legitimæ adjecta in uno casu, non extendenda ad alios.*
12 *An substitutio reciproca capiat legitimam.*
13 *De prohibitione legitimæ in casu confiscationis.*

DISC. XVI.

IN ista causa, principalis quæstio fuit super intestata successione Poggii Chisii, an scilicet ad eam soror cum mas- 1
culis ex fratre nepotibus concurrere posset, stante statuto Viterbien. exclusivo fœminarum, ut habetur *sub tit. de succes. disc.* 16. ubi de facti serie; Quia verò inter bona per defunctum possessa, aderant illa matris, per quam supponebatur fideicommissum ad solum favorem masculorum ordinatum esse; Hinc ex parte Cardinalis venientis ex juribus sororis prætendentis successionem ab intestato, respondebatur quod fideicommissum non obstaret quoad legitimam dicto Poggio debitam; E converso autem replicabatur, quod obstaret prohibitio hujusmodi detractionis contenta in materno testamento, stante ejus acceptatione facta vivente testatrice, quo casu præjudicat etiam sine expressa, & specia-
2 li legitimæ mentione, cum ea requiratur in acceptatione, quæ mortuo testatore fieret, secus autem eo vivente, & in actu testandi, ex authoritate Cæphal. *cons.* 153. *n.* 77. & *seq.* & ex Menoch. *cons.* 196. *n.* 20. cum quibus pertranseunt cæteri, de quibus infrà.

3 Rota in disputatione habita sub die 2. Martii 1660. coram Taja, hujusmodi opinionem rejiciendo, sequuta fuit illam Soccini sen. *cons.* 230. *lib.* 2. quem sequitur Peregr. ut infrà, editaque decisione, atque concessa nova audientia, aliqui ex hujus partis Advocatis, moti ex numero authoritatum pro altera opinione stantium, de hoc assumpto dubitabant, unde juxta laudabilem stylum habitus fuit advocatorum congressus pro novæ disputationis directione, dictæque difficultatis examine; In hoc autem ego (etiam cum sensu veritatis) probabiliorem judicabam opinionem Socc. cum qua Rota processerat, quodque justè confirmatio decisionis sperari debuisset, atque ita discursum pro eodem congressu edidi, ut sequitur.

Ad tollenda æquivoca, in quæ super hoc puncto aliqui ex nostris, confundendo unum casum cum altero, incìderunt, observandum in proposito est, duas cadere omninò diversas inspectiones; Unam circa validitatem actus, an scilicet valeat, necne renunciatio, seu quęcumque remissio, & conventio, quæ super legitima fiat inter filium, & patrem viventem juxta terminos text. *in l. si quando, §. illud etiam, C. de inoff. testam.* Alteram verò, an sub implicita, vel explicita acceptatione testamenti, veniat legitima, quæ indiget nota speciali, ac individua mentione, juxta terminos text. *in eadem l. si quando, §. & generaliter.*

De prima inspectione agunt Galerat. *de renunc. l.* 2. *cent.* 1. *renunc.* 47. *n.* 15. Peregr. *de fideic. art.* 36. *n.* 78. *cum seq.* Merl. *de legit. l.* 3. *tit.* 2. *qu.* 25. & *cæteri apud eosdem*, ex quibus con-
4 stat, regulam esse pro invaliditate actus ex d. text. *in §. illud etiam*, limitandam tamen, vel ubi fiat per viam transactionis, vel ubi accedat juramentum, atque hos terminos percutit Rub. Alex. *cons.* 43. in quo (confundendo casus) nimium se fundat Cæphal. *cons.* 153. ac etiam loquuntur Paris. *cons.* 35. *in fin. l.* 2. & *alii* apud Menoch. *cons.* 196. *post n.* 20. *vers. undecimo, &c.* qui alioquin doctissimus Jurisconsultus, in hoc æquivocasse videtur, capiendo unum casum pro altero.

Atq; isto casu, ad hujusmodi nullitatem evitandam Merl. *d. qu.* 25. *n.* 18. ponderat, an legitimæ renunciatio facta esset in actu testandi, quasi quod tunc per modum ultimæ voluntatis potius quàm contractus facta sit, juxta *consil.* Socc. jun. 50. *num.* 5. *l.* 2. apud quos, & alios supponitur specificè actum de renunciatione legitimæ, solamque quæstionem versari super validitate actus; Unde quidquid sit de veritate prædictæ limitationis, inanis labor est de illa quærere, dum non sumus in casu, & consequenter Galerat. ac Socc. jun. & Merl. *loc. cit.* in decisione deducti non faciunt ad rem, neque casum nostræ quæstionis percutiunt, quamvis Socc. sen. *cons.* 230. *n.* 2. *vers. quibus tamen non obstantib. usque ad num.* 4. de hoc puncto invaliditatis actus principaliter agat, juxta terminos text. *in d. §. illud etiam.*

In secunda verò inspectione, cadit propriè nostra quæ-
5 stio, an scilicet ubi filius paternum testamentum simpliciter acceptat, sibi præjudicet in legitima absque istius speciali mentione; In hoc autem, quando acceptatio sequitur post mortem testatoris, indubitata est negativa juxta text. clarum *in d. l. si quando, §. & generaliter, C. de inoff. testam.* & firmant communiter DD. præsertim Anchar. *cons.* 151. aliàs 153. *n.* 8. & cæteri congesti per Redenasc. *cons.* 21. *n.* 8. Donad. *de renunt. c.* 4. *n.* 2. & *sæpius* Rota nostra, ut liquet ex deduct. infrà in Perusina, & in Lucana *disc.* 18. adeo ut hodie propositio præsupponenda est tanquam notória.

Ubi verò acceptatio, vel alius actus, qui acceptationis
6 vicem habeat, sequatur in actu testandi, seu alias vivente patre; Tunc eamdem regulam procedere firmat Socc. sen. *d. cons.* 230. *n.* 4. *cum seq.* cum quo pertransit Peregr. *d. ar.* 36. *num.* 80.

Contrarium verò tenent Cæphal. *d. cons.* 153. *ex n.* 77. & Menoch. *d. cons.* 196. *n.* 20. *vers. undecimo*, cum quibus juxta stylum, eis simpliciter relatis, tanquam nudus Collector pertransit Fusar. *q.* 296. *n.* 92. & cujus sola ratione, articulo pariter non discusso, contentus est Merl. *de legit. d. lib.* 3. *tit.* 2. *qu.* 9. *in final. verbis.*

Justè tamen, ac fundatè, decisio, rejecta opinione Cephali; & Menoch. veriorem canonizat sententiam Socc. & Peregr. *loc. citat.* Menoch. enim, ut dictum est, more inservientis 7
causæ, non autem veritati, plura cumulat fundamenta, inter quæ, post decem alia, istud addit, sed cum æquivoco claro, ut constat ex authoritatibus, quas allegat, percutientibus primum punctum validitatis, neque aliquam adducit congruam rationem differentię inter acceptationem factam post mortem testatoris, & alteram in vita, unde propterea hæc authoritas nullius considerationis videtur.

Quoverò ad Cephal. ipse pariter cause inserviendo, ac juxta morem Consulentium, multiplicando superflua motiva, præter causæ necessitatem, pro duodecimo adducit istud: Verùm neque ejus authoritas attendenda videtur; Tum quia *n.* 78. satis se fundat in approbacione non simpliciter facta, prout est nostra, sed cum verbis amplissimis, unde propterea cessat applicatio ex facti diversitate: Tum etiam quia *ex n.* 78. *usq; ad* 86. discurrendo super hac distinctione, aliud non adducit fundamentum, nisi quoddam augmentum à contrario sensu deduct. *ex d. cons.* 153. Anchar. *num.* 8. cum enim Anchar. teneat testamenti approbationem factam post mortem testatoris præjudicare filio in trebellianica, non autem in legitima, supponit Cæphal. unicum Anchar. fundamentum in eo consistere, quia legitima dicitur jus quæsitum, trebellianica verò jus quærendum, ideoque per argumentum à contrario ipse infert ex mente ejusdem Anchar. quod ubi acceptatio esset de tempore quo pariter legitima contineret jus quærendum, idem dicendum esset, quod in trebellianica Anchar. firmat.

Istud Cephali fundamentum est fallacissimum; Tum quia 8
ex verbis, vel dictis DD. quorum authoritas est solùm probabilis, & non necessaria, non licet arguere à contrario sensu, ad not. per Berou. & alios *in c.* 1. *de constit.* Franch. *dec.* 18. *n.* 10. & 87. *n.* 16. Bellon. jun. *cons.* 73. *n.* 21. Rot. *dec.* 600. *n.* 32. *p.* 5. *rec.*

Tum etiam quia Anchar. tres adducit differentiæ rationes, inter legitimam, & trebellianicam; Primam nempè potestatis, quia testator num potest prohibere, alteram non: Secundam jam dictam juris quæsiti, vel quærendi; Et tertiam quod legitima indigeat nota speciali: Ideoque malè Cæphal. reassumendo secundam differentiam, super illa solum arguit, aliis non curatis, proindeque cum habeamus regulam generalem, ut sub quacumque etiam explicita approbatione testamenti non veniat legitima, neque congrua urgeat ratio differentiæ inter unum casum, & alterum, omninò vera, & fundata videtur authoritas Socc. quàm nostra decisio canonizavit.

Multò magis dum præsentia, & consensus filiorum in casu præsenti, referri potest ad alias duas causas; Unam scilicet satisfaciendi alteri statuto Viterbien. exigenti præsen- 9
tiam, & consensum propinquorum in testamentis mulierum, & de quo statuto habetur *sub tit. de testam.* Et alteram approbationis cujusdam testamenti alterius filii prædefuncti, quarum causarum possibilitas solaque partium opinatio sufficit, ad dandum huic actui aliquam operationem, excludendumque illud superfluitatis argumentum, quod unicè aliquam inferre posset difficultatem.

Neque alicujus momenti videtur argumentum per aliquos in proposito deductum à consensu præstito exhæredationis juxta terminos text. *in l. non putavit* 8. *vers. si quis sua manu, ff. de bonorum poss. contr. tabul.* quoniam Socc. jun. *d. cons.* 50. Rub. Alex. *d. cons.* 43. & *cæteri* illud ponderant in ordine ad primum punctum, seu primam inspectionem validitatis actus, ad effectum scilicet effugiendi obstaculum tex. *in d. l. si quando, §. illud etiam, C. de inoff. test.* ad quem etiam effectum satis de hoc simili dubitarem, cum text. *in dict. §. illud etiam*, continens jus omnium novissimum Justiniani, protestetur id decidere ad tollendum vetus jurgium, ibi, *Vetere jurgio explosо*; Et clarius quia de jure *Digestorum* cognitum non erat hoc legitimæ privilegium attributum ab eod. Justiniano *in d. l. si quando, §. & generaliter*, ideoque non benè ab uno casu ad alterum infertur.

Duæ aliæ adsunt differentiæ ratiooes inter casum consensus præstiti exhæredationi, & consensum præstitum testa- 10
mento, in quo prohibitio, vel onus legitimæ contineatur; Prima nempè, quod exhęredatio est actus univocus totaliter destructivus tituli hæreditarii, unde propterea consensus exhæredati, ad aliàm operationem referri non potest, diciturque omninò incompatibilis cum approbati testamenti impugnatione, itaut filius consentiendo testamento, certò

scire dicatur sibi præjudicare: Non sic est in legitima, quoniam compatibile est per filium approbari testamentum paternum, & tamen legitimam, cujus specialis mentio habita non sit, remanere salvam juxta text. *in d. §. & generaliter*, cujus dispositionem sciens filius, rectè agnovit, non obstante consensu, jus suum remanere salvum; Præsertim quia ex testamenti contextu dici poterat, vel prohibitionem legitimæ
11 non adesse in secundo substitutionis gradu, sed in aliis, de quibus non agebatur; Vel esse satis incertam, & hoc sufficit, ut filii probabiliter credere potuerint, acceptando testamentum sibi non præjudicare in legitimæ detractione, quatenus hujus substitutionis casus fieret; Ideoque alterum facti motivum, quod legitimæ prohibitio verè non percuteret istum substitutionis casum, sed alios, nimium attendendum est pro regulando etiam consentientium voluntatem.

Altera est differentiæ ratio, quod attento jure digestorum, filius erat patris hæres necessarius, & quatenus etiam esset voluntarius, attamen ob non adhuc introductum inventarii beneficium à jure postremo Justiniani traditum, qualitas hæreditaria sibi poterat esse potiùs damni, quàm utilitatis, dum eum ad debita, & legata insolidum, & de proprio obligabat, itaut quandoque expediret eum exhæredari, seu exhæredationi consentire; Non sic est in prohibitione legitimæ, quæ semper damnum, ac præjudicium filio generat, & consequenter nullatenus à casu exhæredationis ad alterum prohibitionis legitimæ inferri posse videtur.

Et licèt Peregr. *d. art.36.n.80. in fin.* limitationem subjungat, nisi filius post mortem patris, paternum judicium agnovisset; Nihilominus ejus dictum intelligendum est de agnitione facta in ea forma, quàm lex exigit, ut in legitima prejudicet, & sic, cum mentione speciali, retentisque subjectæ materiæ terminis, juxta quos Doctor simpliciter loquens intelligendus est, præsertim dum allegat Guid. Pap. *dec. 96.* qui ad hos terminos non descendit. Et hæc circa istum punctum discurrebam, atque ponderanda proponebam, sed occasio defuit illa maturiùs examinare ob subsequutam satis honestam concordiam, quamediante, præsens controversia finem habuit.

Faciliùs autem dicebam (quatenus prosequutioni d. disputationis locus esse deberet) præmissa procedere, ob aliud fundamentum obiter in eadem hujus causæ decisione insinuatum, quod scilicet prohibitio detractionis legitimæ, non percuteret casum illius substitutionis, de cujus purificatione objiciebatur; Cessante siquidem prohibitione, vel saltim concurrente probabili dubietate, an illa comprehenderet, necne casum controversum, magis de facili tollebatur prejudicium resultans ex acceptatione, quæ directa etiam ad ipsammet prohibitionem, adhuc æquivoca remanebat.

Siquidem testatrix, tres ordinavit substitutionum gradus; Unum continentem reciprocam inter ipsos hæredes institutos; Alterum continentem prætensum fideicommissum successivum etiam reciprocum ad favorem filiorum, & descendentium; Et tertium in casu delicti, & confiscationis in forma consueta.

Prohibitio autem detractionis legitimæ legebatur in prima substitutione, & repetita in tertia, omissa verò in secun-
11 da, de qua agebatur, ideoque ad eam non extendenda, cum tractetur de re odiosa ex deduct. per Fusar. *qu. 678. cum seq. & passim.*

Multò magis concurrente rationis diversitate, Inter primam, & tertiam substitutiones, in quibus talis prohibitio adjecta legitur, & secundam, in qua est neglecta; Plurium enim sententia est, reciprocam substitutionem inter filios primi gradus, quibus æqualiter debetur legitima, rectè istam
12 quoque capere, quasi quod non contineat onus, & gravamen, cum uterque possit se habère ex eventualitate ad lucrum, & damnum ad tex. *in l. si pater puellæ, C. de inoff. test.* quem non esse correctum per text. *in l. quoniam in priorib. C. eodem.* volunt glos. & cæteri ibidem, de quibus Menoch. *cons.196.n.16. & seq. & cons.680. & l.4. præs.196.nu.25.* Capyc. Latr. *cons.121.n.73.*

Prout, etiam quod substitutio in casu confiscationis capiat legitimam, ex eadem ratione, quod sit potiùs provi-
13 dum consilium, ac favor, quàm onus habetur plenè deductum suprà, *disc.* 12. Quidquid enim sit de veritate utriusque assumpti in casibus suis, & quando de singulis principaliter decidendis ageretur; Ubi etiam essent dubia, itaut contrarium decidendum esset, ut præsertim in primo simplicis substitutionis reciprocæ in casu mortis satis dubitari potest; Nihilominùs certum est, ex his resultare diversitatis rationem, quodque in prima, & tertia substitutionum specie militet aliqua ratio permissiva talis prohibitionis, quæ non intret in secunda, in qua meritò testatrix eam omisit, suffragante etiam argumento discretivæ, quod ubi voluit dixit, &c.

ANNOT. AD DISC. XVI. & seq.

AGitur in his discursibus de materia prohibitionis legitimæ, & de cautela Socc. de qua postmodum actum fuit in casibus, de quibus *in hoc eôd. tit. disc.* 36. & 37.

Decisiones enunciatæ in *disc.*17. tres posteriores sunt impressæ *par.4.rec. dec.*119. 202. & 254.

PERUSINA SUCCESSIONIS PRO ANASTASIIS, CUM BEATRICE DE BENEDICTIS.

Casus variè decisus per Rotam.

Ad materiam prohibitionis legitimæ, seu illius subjectionis fideicommisso, an, & quando dicatur adhibita ea cautela, quæ vulgò dicitur Soccini; Et quatenus non, an sufficiat talem prohibitionem factam esse per æqui pollens. Et quid ubi concurrat expressa acceptatio relativa ad dispositionem juris.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De cautela* Socc. *in cujus casu etiam tacita, & implicita acceptatio sufficit.*
3 *Cessante dicta cautela, talis acceptatio non præjudicat.*
4 *Quid ubi expresè acceptatur testamentum absque mentione speciali legitimæ.*
5 *Ubi non concurrit mentio specialis legitimæ, non dubitatur de ejus comprehensione.*
6 *Quid ubi acceptatio est conditionata.*
7 *Præceptum obligatorium ad subjugandam legitimam fideicommisso, sub pœna caducitatis in totum, an valeat.*
8 *Reprobatur Cyriac.* controv. 148.
9 *Declaratur textus* in l. Sejus, & Augerius, ff. ad l. falcid.
10 *De distinctione, an prohibitio sit inductiva pœnæ, vel invitativa lucri.*
11 *An jus rejiciendi onus a legitima ab ipso filio non impugnatum transmittatur ab hæredes.*

DISC. XVII.

FLoravantes de Benedictis, institutis hæredibus Laurentio, Petro Antonio, & Bernardino ejus filiis, cum 1
reciproca inter eos, ac ulteriori substitutione ad favorem filiorum, & descendentium ex eis, expresè prohibuit quamcumque detractionem, etiam legitimæ, sub pœna privationis hæreditatis, & sub præcepto, quod intra certum terminum post sequutam ejus mortem, instituti testamentum in omnibus expresè acceptare tenerentur, ut de facto acceptarunt, legitimam expresè fideicommisso subjiciendo, quatenus ad id ex juris dispositione adstricti essent, atque ad effectum, ut commodo integræ hæreditatis potiri possent, cum clausula, *& non alias;* Facto autem casu mortis Floravantis junioris filii Laurentii ab intestato, unde fideicommissum apertum est ad favorem Beatricis, inter istam, & illos de Anastasiis dicti Floravantis hæredes, orta est controversia super legitimæ detractione, prætendente fideicommissaria, illi locum non esse, stante dicta prohibitione acceptata per filios hæredes gravatos, ex quorum jure Anastasii veniebant; E converso prætendentibus istis, qui jura gravatorum repræsentabant, hujusmodi acceptationem non præjudicare, utpotè qualificatam à clausula, *quatenus de jure tenerentur, & ad effectum ut integram successionem obtinere possent, & non alias*, quasi quod non adfuerit animus acceptandi, nisi cum hoc præsupposito, quod scilicèt non possent aliàs integram successionem obtinere, nisi dictam acceptationem facerent, atque ad eam obligati essent; Et introducta causa in Rota coram Verospio, variatum fuit, quoniam sub die 16. Martii 1659. & 24. Januarii 1664. responsum fuit pro legitimæ competentia, ex dicta ratione, quod acceptatio utpotè ita qualificata habenda esset pro non facta; Deinde verò sub die 9. Junii 1664. & 4. Februarii 1665. stantibus probationibus interim factis, recessum fuit à decisis, atque pro non competentia detractionum responsum fuit.

Cùm-

Cùmque in hujusmodi disputationibus, scribentes hinc inde, cum copiosissimis allegationibus multas cumularent authoritates, diversos terminos percutientes, unde propterea videbatur exinde aliqua confusio resultare; Idcirco scribens pro Anastasiis, tam in congressibus Advocatorum, quàm scribendo in Rota, pro aliqua dilucidatione istius materiæ in foro nimium frequentis, dicebam omnino reflectendum esse ad casuum distinctionem.

Primus enim est, ubi facta per testatorem prohibitione detractionis legitimæ, filius hæres institutus, paternæ hæreditati simpliciter se immiscet, absque aliqua expressa acceptatione testamenti, cujus approbatio implicitè solùm, ex ipso aditionis actu resultare dicatur; Et tunc inspiciendum est, an servata sit ea forma, seu cautela, quæ vulgò dicitur Soccini, quod scilicet filius alternativè institutus sit, Vel in sola legitima, quatenus eam liberam detrahere ve-
2 lit; Vel in universa hæreditate fideicommisso onerata, ita contentus, loco legitimæ, universæ hæreditatis emolumento, donec substitutionis casus fieret, & de qua formula, seu cautela plenè agitur apud Otthob. *decis.* 100. Merlin. *de legit. lib. 3. tit. 2. qu. 8. num. 8. & quæst. 10. num. 16. & 17.* & Rota frequenter; Si enim illa servata sit, tunc receptum est, dictam tacitam, seu implicitam acceptationem ex actu aditionis, seu immixtionis paternæ hæreditatis resultantem sufficere.

Si verò dicta formula, seu cautela servata non sit, & tunc simplex acceptatio tacita resultans ex usu testamenti,
3 & ex hæreditatis aditione non præjudicat legitimæ, quamvis pater cum hoc onere, adjecta etiam pœna caducitatis, filium instituisset in majori quantitate quàm legitima importaret, juxta opinionem Alex. quam rejecta illa Cumani, sequitur Rota, & in his terminis loquuntur *decis.* 206. & 653. *part. 1. rec.* & apud Greg. *decis.* 489. ubi Adden. quæ decisiones videntur fortè originales, ac magistrales in materia, cum quibus in aliis subsequentibus proceditur; Eosdemque terminos simplicis acceptationis tacitæ, seu implicitæ percutiunt Cyriac. *controv.* 148. Merlin. *de legit. d. l. 3. quæst. 8. num. 6. cum seq.* & cæteri, qui in prima hujus causæ decisione favore detractionis legitimæ allegantur, ac etiam *disc. seq.*

Alter casus est, ubi accedente eadem expressa prohibitione, vel subjugatione legitimæ, sequatur expressa acceptatio testamenti; Et tunc incongruum est quærere, an servata sit forma, seu cautela prædicta, quæ dicitur Soccini, quoniam ea concurrente, etiam acceptatio tacita, & per actus facti ut supra sufficit; Verùm præsupposito illam servatam non esse, tunc distinctio est, quod; Aut acceptatio
4 est simplex, & generalis, & non præjudicat, quoniam interpretatienem recipit à jure; & tanquam verificabilis in aliis dispositionibus non capit legitimam, quæ speciali nota indiget, ac individua mentione, & in his terminis loquuntur etiam *d. decis.* 206. 449. & 653. *part. 1. recent.* Adden. ad Gregor. *d. decis.* 479. *decis.* 134. & *decis.* 269. *par. 11. rec.* & aliæ plures, quæ in materia frequens habentur.

Nisi acceptatio prædicta esset adeo seria, atque per verba nimis ampla, & generalia, quod ejus tenor ostenderet, quod filius in omnibus, & per omnia voluisset testamentum approbare etiam quoad legitimam, cum tunc verborum amplitudo æquipolleat specificationi, ut *dec.* 175. *p.* 8. & *decis.* 481. *part. 9. rec.* alias *decis.* 137. & 138. post Merlin. *de legitima*, apud Otthobon. *decis.* 100. & in aliis.

Omnes autem istæ authoritates, ac decisiones, quæ dictos casus percutiunt, extraneæ videbantur ab illo præsentis controversiæ; in quo agebatur de acceptatione, non solùm expressa, & generali totius testamenti, sed etiam speci-
5 fica, seu individua quoad ipsum onus legitimæ, unde nisi qualificata esset ab illis, *quatenus de jure teneantur, & ad effectum ut consequi possent omnia in testamento disposita*, sed esset acceptatio pura, tunc casus esset indubitatus juxta decisionem *in Reatina fideicommissorum* 18. Junii 1657. coram Celso, inter suas *decis.*235. ubi concordantes, ob claram dispositionem text. *in l. si quando, §. & generaliter, C. de inoff. testam.*

Quare admisso quod clausula prædicta conditionem importaret; Observabam punctum difficultatis esse (à quo articuli decisio penderet,) an se opponente substituto, vel alio interessato, potuissent dicti filii ita instituti, cogi ad eligendum unum de duobus; Aut scilicèt legitimam liberam, Aut integram hæreditatem cum vinculo, quod etiam legitimam caperet, Vel potiùs de jure, spretis tam præcepto testatoris, quàm dicta oppositione, ad id cogi non possent, atque tam legitimam liberam, quàm integram hæreditatem obtinere; Si enim ad hujusmodi electionem cogi possent, itaut utrumque supra de jure obtinere non valerent, tunc absque dubio acceptatio remanebat pura, stante purificatione conditionis, admisso etiam, quod juxta sensum alterius partis, conditio dicenda esset, dum puri, & purificati idem est judicium, secùs autem è converso.

Rationem verò dubitandi ad favorem filiorum, atque pro spretu dicti præcepti tanquam invalidi, præbet dispositio text. *in l. Sejus, & Augerius, ff. ad legi falcid.* per quem hujusmodi præcepta, non per viam alternativæ, & electio- 7
nis juxta dictam cautelam Soccini, sed per viam penalis caducitatis, irritantur, atque hujus textus dispositionem in proposito ponderat Rota *d. decis.* 206. *n.3. part. 1. rec. & decis.*342. *n.* 15. *part.* 5. ac firmant relati per Cyriac. *dicta controv.*148. *num.*11. & 54. istudque erat potissimum fundamentum scribentium pro altera parte, ad probandum, quod preceptum prædictum de jure non esset obligatorium, unde resultabat quod acceptatio habenda esset pro non facta.

Verùm (loquendo etiam cum sensu veritatis) dicebam illud non subsistere, sive ad hanc facti speciem non benè applicari, cum dicti textus dispositio procedat, quando pena caducitatis est ita ampla, & generalis, ut capiat, non solùm reliquam hæreditatem, sed etiam ipsammet legitimam, quam per contraventionem testator sentiisset, amitti quoque debere, ut probare videtur ejusdem legis contextus, ac etiam sentit idem Cyr. cui prior decisio principaliter innititur *d. controv.*148. *n.* 11. & *n.*49. *cum seq.* dum ea disputatio restringebatur ad legitimæ assequutionem, ac ad evitandam illius caducitatem ob non adimpletum testatoris præceptum; Nullibi autem cautum de jure dicebam, ut interessato opponente, possit filius hujusmodi præceptum spernendo, integram hæreditatem, ac legitimam liberam obtinere.

Quamvis enim idem Cyriac. *num.* 54. ex ejusdem textus dispositione, more Consulentium, plura deducendo ad causæ oportunitatem non necessaria, generaliter dicat, ut quidquid pater sub nomine pœnæ præcepit, sperni valeat, atque 8
pro non scripto habeatur; Attamen in hoc loqui videtur, absque juridico fundamento, ut eo nominatim confutato probat Merlin. *de legitima, lib. 3. tit. 2. quæst. 8. numer. fin. vers. tertia opinio*, eundemque sensum cæteris allegatis habet Castil. *lib.5. controv. cap.64. num.* 57. & 58. Atque probari videtur ex ipsamet humana ratione, cui nimis evidenter repugnare videtur, ut parenti licitum esse non debeat, legem sibi benè visa adjicere ejus bonis, quæ poterat filiis non relinquere, sed de iis à principio disponere ad favorem extraneorum, eaque, (ut nostri dicunt,) projicere in mare, seu aliàs de eis etiam irrationabiliter disponere; Multò magis ubi dispositio nullam continet turpitudinem, seu irrationabilitatem, sed potiùs justum, ac rationabile motivum conservationis bonorum in sanguine, ac posteritate.

Rigor autem textus prædicti procedit, ubi concurrat maligna, & indiscreta pœnalis dispositio, per quam, ut legi 9
fraus fieret, caducitas totam percuteret hæreditatem, inclusa etiam legitima; Et hic erat casus *d. decis.*206. *par.1. rec. & decis.* 342. *part.* 5. quamvis ibi de hoc ex professo disputatum non esset, dum non concurrebat acceptatio expressa.

Clariùs autem in hac facti specie, quod dicti filii non erant ab initio hæredes instituti in toto, cum prius instituta esset testatoris uxor, cui post mortem naturalem, vel civilem resultantem à transitu ad secunda vota, dicti filii substituti fuerant, unde propterea in termino duorum mensium à die mortis testatoris, in quo acceptationem testamenti in omnibus partibus, ac legitimæ subjugationem facere debeant, non erant hæredes, atque contraveniendo nullam incurrebant pœnam privationis illius hæreditatis, quam non habebant, ideoque observabam quod non essemus in casu textus, cum dictum præceptum potiùs continere videretur quamdam conditionem invitativam ad lucrum, sub qua aspirare possent ad futuram fideicommissariam successionem post mortem matris aperiendam; Magna etenim differentia est inter præceptum, quod contineat in casu contraventionis pœnalem caducitatem à bonis, vel juribus jam assequutis, ac alterum quod impediat assequutionem quærendorum, quoniam etiam in prohibitis, in quibus primo casu rejicitur, atque pro non scripto habetur, in secundo utpotè 10
continente potiùs conditionem invitativam ad lucrum, quàm pœnam, substinetur juxta distinctionem Oldrad. *cons.* 16. de qua Morot. *cons.* 97. Cyriac. *controv.* 451. *num.* 83. & *seq.* Capyc. Latr. *consult.* 72. *num.* 16. *cum sequ. decis.* 493. *num.* 30. & *seq. part.* 4. *rec. tom.* 2. cum aliis *sub tit. de fideicom. disc.*154. & *sub tit. de testam. disc.*73. ac etiam *sub tit. de matrimonio.*

Demùm observabam, majorem difficultatem in proposito cadere, quando ipsemet filius, cui legitima debetur, expressè declaret velle illam assequi liberam, rejiciendo onus, qualis erat casus *d. decis. 206. part. 1. rec.* Sive ubi eamdem voluntatem implicitè declaravit per alicujus rei alienationem; Ubi verò nunquam reclamavit, ut in præsenti, tunc satis contendunt DD. an hoc privilegium rejiciendi onus, 11 transmittatur, necne ad hæredes; Negativam enim tenent plerique deducti per Merlin. *lib. 3. tit. 2. quæst. 17. num. 1. cum seqq.* & plenius per Capyc. Latr. *consult. 131. num. 34. & seq.* Et quamvis affirmativam sequatur Rota *decis. 342. num. 3. & seq. part. 5. rec.* quam veriorem dicit Merlin. *d. qu. 17. num. 8. cum seqq.* Nihilominùs quidquid sit de unius, vel alterius opinionis veritate; Hujusmodi circumstantia, quod filii viventes nunquam conquesti essent, neque alium actum fecissent probativum voluntatis spernendi paternum præceptum, atque contravehiendi eorum expressæ acceptationi, nimium considerabilis videbatur pro eorum voluntate interpretanda in casu dubio.

Et ex his, etiam in solo puncto juris, reflectendo ad veritatem, credebam quod priores solutiones non possent subsistere, sed pro fideicommissariis etiam quoad legitimam respondendum esset; Clariùs autem stantibus novis probationibus super voluntate ultimi filii morientis, quod scilicèt veritatem agnoscendo, moriens dixerit quod integra hæreditas cadebat sub fideicommisso, quodque nulla detractio competeret, cui facti fundamento principaliter innixa est Rota, recedendo à decisis; Atque de hac materia latiùs post hujusmodi causam disputatam actum fuit in *Lucana*, de qua *disc. seq.*

LUCANA PROHIBITIONIS LEGITIMÆ PRO NICOLAO SANCTINO CUM ALIQUIBUS LOCIS, seu OPERIBUS PIIS SUBSTITUTIS.

Responsum.

De eadem materia prohibitionis legitimę, ejusque subjectionis fideicommisso; Et de eadem cautela Soccini, quando servata dicatur, Et de acceptatione paterni testamenti, quando causet prejudicium in legitima; Et de imputatione fructuum in legitimam.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De ratione facilitatis, & difficultatis in facultate legali.*
3 *Unde proveniat hujus specialis materiæ involutio, & quod procedendum sit cum distinctione.*
4 *Substitutio universalis non capit legitimam non expressam.*
5 *De prohibitione legitimæ juxta cautelam* Soccini.
6 *De prohibitione cum diversa forma caducitatis, seu pœnalis substitutionis.*
7 *In casu, de quo num. præcedenti, si filius acceptet simpliciter testamentum, non censetur acceptatum onus in legitima.*
8 *Limitatur, seu declaratur.*
9 *Jus rejiciendi onus à legitima an transmittatur, & quid referat an ipse filii impugnent.*
10 *De opinione* Cumani, *ut isto casu filius restituat fructus.*
11 *Potissimè ubi accedit clausula,* omni modo meliori.
12 *Contraria opinio verior rejecta opinione* Cumani.
13 *Quid operatur dicta clausula,* omni modo meliori.
14 *Ad quid citra evagationem de quæstionibus extraneis agatur.*
15 *Legitima non potest relinqui in usufructu, vel fructibus.*
16 *Qualis sit casus* Cumani, *de quo num.* 10.
17 *Fructus de jure pertinent ad hæredem gravatum.*
18 *De regula,* quod potui nolui, &c.
19 *De conclusione, ut immorandum non sit in formalitate verborum, sed attendi debeat substantia voluntatis.*
20 *De quæstione imputationis fructuum in legitimam, & quid referat imputari ipso jure, vel restitui.*
21 *De effectibus ex uno, vel altero modo resultantibus.*
22 *Quod hæc inspectio cessat, ubi res est in fieri.*
23 *Examinatur ratio, cui innititur cautela* Soccini.

DISC. XVIII.

CÆsar de Sanctinis, nimiùm pinguis assis possessor, instituto Nicolao unico filio in pupillari ætate constituto, ordinatoque fideicommisso particulari, cum ordine primogenituræ in scutis centum quinquaginta mille, in casu obitus absque filiis masculis; In reliqua hæreditate quædam pia opera, seu loca substituit, cum expressa, & particulari dispositione, ut fructus ex hæreditate percipiendi, imputari deberent in legitimam, quam in eis filio reliquit institutionis titulo, ac aliàs *omni modo meliori*; Cùmque adita per dicti pupilli tutorem hæreditate, ipse factus major peteret separationem legitimæ in proprietate, dictæque prætensioni se opponerent dictorum piorum operum, seu locorum Administratores, prætendentes dictæ separationi locum non esse in præjudicium substitutorum; Vel quia ob adhibitam eam cautelam, (quæ vulgò Soccini dicitur,) etiam legitima caderet sub fideicommisso; Vel quia ob fructus percepti, ac etiam in futurum percipiendi imputari deberent; Hinc proindè exorta desuper controversia, ex parte dicti Nicolai requisitus ad scribendum ad ejus defensionem adversùs dictam prætensionem, in statu, in quo jam pro utraque partium magna penè volumina Responsorum, & allegationum, ut mihi suppositum fuit, (eis tamen non communicatis) edita fuerant, 1

Respondi quod in hac legali facultate magna Scribentium multitudo, duos invicem pugnantes effectus produxit; Unum scilicet nimiæ facilitatis ita inductæ in quoliber mediocriter versato ex otii beneficio libros revolvente, chartas cum copiosis allegationibus implendi; Alterum verò (ob nimiam confusionem à tot scribentibus inductam) maximæ difficultatis adæquatè respondendi de jure, atque congruè applicandi activa passivis, strictèque percutiendi casum præcisum quæstionis; Atque in hac parte solum hodie Consulentium doctrina, & excellentia consistere videtur, cum prima pars, improbo labori potius, quam ingenio, ac eruditioni, referenda videatur, 2

Cum igitur ista materia acceptationis oneris super legitima, ac etiam imputationis fructuum in eam, nimium involuta videatur, ob consuetam consarcinationem authoritatum, quæ diversos casus percutientes, indigestè confundi solent; Hinc proindè, ad æquivoca tollenda, atque ut magis methodicè veritas in præsenti controversia dignosci posset; Advertebam ad id, quod in omni ferè materia necessarium esse, mea est frequens consuetudo insinuandi, ut scilicet per casuum distinctionem procedendum sit, 3

Primus igitur casus est; ubi testator, nulla speciali legitimæ prohibitione adjecta, substitutionem universalem simpliciter ordinet; Et tunc, quidquid aliqui variaverint, seu distinxerint, an concurrant, necne, verba universalia totum complectentia; Magis communis, ac recepta opinio est, ut sub hujusmodi dispositione legitimæ prohibitio non contineatur, ne dum ex potentia legis, ac legitimæ privilegio, sed etiam ex verisimiliter cessante voluntate testatoris non disponendi, nisi de eo, quod erat suum, ex deductis per Mantic. *de conject. lib. 7. tit. 8. num. 3. cum seqq.* Peregr. *de fideicom. art. 36. num. 81. & seqq.* Merlin. *de legit. lib. 3. tit. 2. quæst. 7. num. 1. & 2. & num. 12. cum seqq. & qu. 9. num. 1. cum seqq.* apud quos cæteri, atque tanquam absolutum supponitur in decisionibus, de quibus infrà. 4

Alter casus est, ubi accedat expressa prohibitio legitimæ, cum ea cautela, quæ licèt originaliter derivet ab Angelo *in §. prohibemus, Auth. de triente, & semisse, vel à durante de arte testandi*; Attamen utpotè benè explicata per Soccin. jun. *consil. 122. lib. 1.* huic vulgò tribuitur, atque cautela *Soccini* nuncupatur; Instituendo scilicet filium alternativè, vel in universa hæreditate sub onere fideicommissi comprehendentis etiam legitimam, vel in sola legitima, alio ad reliquam hæreditatem vocato; Et tunc, licèt pariter non desint multi contradicentes; Attamen hujusmodi cautela est magis communiter recepta, adeo ut absque expressa acceptatione testamenti etiam implicita, ad id sufficiat, ex deductis per Peregr. *dicto artic. 36. numer. 32.* & Andreol. *controv. 250. per tot.* latè Cirocc. *controv. 4. numer. fin.* Bonden. *colluct. 9. numer. 147.* Rota apud Caril. *decis. 141. 167. & 223.* quarum prima est repetita *decis. 175. part. 8. recent.* secunda, & tertia sunt *par. 9. decis. 459. & 481.* & apud Orthob. *decis. 100. & decis. 218. numer. 1. & seqq. part. 10. recent.* & in Perusina coram Verospio, de qua *disc. præced.* 5

Tertius casus est, ubi expressa prohibitio legitimæ accedat, non autem præcisè adhibeatur dicta forma per alternativam, sed procedatur per viam pœnæ privationis, seu caducitatis ab hæreditate, dato substituto in casu contraventionis, nulla tamen facta dispositione circa fructus, atque filius institutus, impugnando paternum judicium, prætendat ut dicta pœnalis dispositio haberi debeat pro invalida, & non scripta, quodque propterea ea non obstante filius integram hæreditatem obtinere valeat, atque legitimam præcipuam obtinere, ad terminos text. *in leg. Sejus, & Augerius, ff. ad l. falcid.* Et de isto agitur in Perusina *disc. præced.* Sed pariter iste casus erat extraneus à præsenti controversia, ideoque ibi deducta, eatenus in hoc responso examinare oportuit, quatenùs scribentes pro substitutis, tanquam punctuales, ac præcisè casum decidentes magnificarent decisiones in ea causa editas, dum ego tanquam scribens in ea, agendo de illius casus circumstantiis ostendebam casus diversitatem. 6

Quartus casus est, ubi accedat pariter expressa prohibitio legitimæ per viam pœnæ, seu privationis, atque in casu contraventionis detur substitutus, filius autem simpliciter in vim testamenti hæreditatem aderat, & sic non acceptet in specie onus super legitima cum illius speciali mentione, minusque dictum onus impugnet, vel declarationem contrariam faciat; Et tunc intrat quæstio, an iste actus explicitæ, vel implicitæ, acceptationis testamenti sufficiat absq; speciali mentione legitimæ, eo modo, quo in dicto secundo casu cautela Soccini sufficit, vel potiùs necessaria sit mentio specialis, juxta primum casum. 7

In hoc autem, ut simplex generica approbatio testamenti non sufficiat, absque speciali mentione legitimæ, stare videtur regula juxta *cons. 152.* Anchar. cum aliis plenè relatis per Peregr. *d. art. 36. num. 34. & seqq.* Merlin. *de legitim. lib. 3. tit. 2. quæst. 9. num. 16. cum seqq.* & multos colligit Cirocc. *controv. 4. num. 65.* ac pluries dixit Rot. præsertim apud Gregor. *decis. 429. num. 21. & seqq. dec. 200. par. 1. rec. decis. 228. num. 9. & seqq. par. 8. decis. 269. num. 13. par. 11.* & admittitur in supra allegatis decisionibus coram Carillo, & Orthobono occasione agendi de dicta cautela Soccini. 8

Limitatur tamen hæc regula, ubi acceptatio facta sit cum verbis amplis, ac prægnantibus, adeo ut specialitati æquipolleant, ut *d. decis. 218. num. 9. & seqq. par. 10. rec.* apud Caril. *dicta decis. 141. 167. & 223.* Et consequenter ista remanet quæstio potiùs facti, & applicationis, quàm juris, an scilicet acceptatio tales habeat circumstantias, ut ex verbis, vel factis desumatur voluntas filii acceptandi onus etiam in legitima juxta casum, de quo in dictis decisionibus Carilli, in quo accedebat circumstantia, quod acceptatio testamenti sequuta fuerat de ordine Papæ, ac mediante opera aliquorum Cardinalium pro extinguenda lite, quæ super hac detractione in specie pendebat; Et nihilominus dictæ decisiones suas habent difficultates, ut ego advertebam in discursu edito super eis in Romana fideicommissi de Ceulis, de qua agitur hoc *eodem titulo*, vel altero *de fideicom. in supplemento.* 9

Nimiùm autem isto casu refert, an impugnatio oneris fiat per ipsummet filium, qui testamentum acceptaverat, vel per ejus hæredem, vel successorem, adeout ipse donec vixit, voluntatem in contrarium non declaraverit; Quamvis enim probabilior, atque in Rota, & Curia recepta sit opinio, ut facultas rejiciendi onus à legitima transmittatur ad hæredes, & non sit personalis juxta alteram opinionem relatam per Merlin. *lib. 3. tit. 2. quæst. 17. num. 1. & seqq.* & Capyc. Latr. *consult. 121. num. 34. & seqq.* ut patet ex deductis ab eodem Merlin. *ubi sup. num. 8. & seqq.* & ex decisionibus editis in casu, de quo *d. disc. præcedenti*, ubi id habitum fuit pro absoluto, dum in ultimis decisionibus revocatoriis principale fundamentum constitutum fuit in probationibus, quod filii acceptando testamentum in legitima quoque onus acceptare in animo habuerint, adeout ista circumstantia non declaratæ voluntatis in contrarium in vita, sola, & de per se ad id non sufficiat; Attamen id est unum ex efficacibus argumentis, vel adminiculis, cum aliis conjungendum; Atque in hoc sensu id ponderatum fuit in dictis posterioribus decisionibus editis in Perusina; Sed advertebam neque opus esse in hoc multùm immorari, cum neque hic esset casus nostræ quæstionis, dum in eo supponitur acquiescentia filii donec vixit, nulla facta declaratione animi in contrarium, ideoque extra rem nostram. 10

Quintus casus est, ubi eadem prohibitionis serie retenta, quod scilicet legitima expressè prohibita sit dato substituto, in casu impugnationis per speciem caducitatis, ut suprà, atque filio simpliciter testamentum acceptante, implicitè per additionem hæreditatis, vel etiam explicitè, sed generaliter, absque speciali mentione legitimæ; Deinde verò tractu temporis, in quo universa hæreditas ab eo possessa fit, idem, vel ejus successor, legitimæ detractionem petat, paternum judicium impugnando, an scilicet isto casu, fructus percepti ex reliquo besse, in quo supponatur, quod valida esset dicta pœnalis substitutio, restituendi venirent, sive in legitimam imputandi; Et in hoc affirmativam tenet Cuman. *in l. coheredi, §. cum filio, num. 2. ff. de vulgar. & pupillar. & consil. 25. & 52.* istamque opinionem aliqui simpliciter sequuntur; Alii verò distinguunt, an adsit clausula, *omni meliori modo*, necne, ut ista accedente veniat fructuum 11 restitutio, vel imputatio, secus autem, ubi non accedat, ut patet ex deductis per Fachin. *lib. 12. controv. 70.* & per Surd. *decis. 21. num. 20.*

Verùm quidquid, in disputativa ratione in scholis, & academiis, desuper dicendum sit; In foro tamen magis recepta est contraria opinio, quæ vulgò tribuitur Alexandro ejus antesignano, ut dicta restitutio, vel imputatio non intret, ut in specie fuisse decisum per Rotam Lucen. patet apud Magon. *decis. 85. num. 19.* Idemque decisum esse per S. 12 Consilium Neapolitanum, testantur Franch. *decis. 522.* & Rovit. *cons. 61. lib. 2.* & per Rot. *decis. 653. in fin. par. 1. recent.* ac positivè firmatur in primis decisionibus editis in Perusina, de qua *disc. præced.* neque negatur in posterioribus, 13 in quibus clausula, *omni modo meliori*, ponderatur tanquam unum ex adminiculis ad diversum finem, seu effectum, probandi scilicet voluntatem; Et concordantes referunt Hodiern. ad Surd. *d. decis. 21.* Andreol. *controv. 250. num. 7. & per tot.* Cirocc. *dicta controv. 4. num. 66.*

Omnes dictos casus ego ita distinguebam, quamvis extra punctum quæstionis, (non tamen cum evagationis vitio, sed ita cogente necessitate,) ad effectum scilicet ostendendi æquivocum, cum quo procedebatur, constituendo 14 fundamentum in dictis decisionibus editis in Perusina, ac in aliis supra deductis conclusionibus, vel authoritatibus, utpote à casu quæstionis extraneis, diversosque terminos percutientibus, diversamque rationem habentibus; Et sic ad effectum docendi de incongrua applicatione, super qua ferè omnes forenses quæstiones hodie circumferri videntur; Siquidem in isto casu testator nullam adjecit prohibitionem legitimæ, quàm potiùs supposuit debitam, ac detrahendam, 15 nullamque adjecit pœnam caducitatis in casu, quo illius detractio peteretur, neque isto casu substitutum dedit, sed solùm professus est relinquere legitimam in fructibus, quos in eam imputari voluit, quod per testatorem fieri non potest cum filiis, & descendentibus, quibus legitima debita est in corporibus, seu proprietate, ideoque ipsis paterno judicio non acquiescentibus, relinqui non potest in usufructu, vel fructibus; Atque si ita relinquatur, dispositio inutilis est, eaque habita pro non scripta, filius legitimam in corporibus petere potest, juxta textum literalem *in l. jubemus, Cod. de Trebell. & §. prohibemus, auth. de trient. & semiss.* dùm in filiis, & descendentibus concordant omnes DD. qui loqui non possunt contra text. claros, solùmque disputatio cadit, an idem dicendum sit in legitima debita ascendentibus, in qua plures credunt hoc privilegium non intrare, quasi quod eis debita non sit legitima jure naturæ, eo modo quo filiis, & descendentibus debita est, cujus contrarium tamen est verius, magisque receptum juxta magistralem *decis. 76.* Duran. *repetit. decis. 62. par. 5. rec.* & advertitur suprà in alia Lucana *disc. 10.*

Quæstio autem, quæ circumfertur inter Scribentes super veritate opinionis Cumani, non percutit istum casum præcisum, in quo testator simpliciter relinquat legitimam in 16 fructibus, vel in usufructu absque illius prohibitione, vel pœnali substitutione in casu contraventionis, sed solùm quando ista positiva contraventio accedat, quod scilicet contra expressam prohibitionem filius veniat, ac prætendat sibi licitum esse impugnare dictam pœnalem substitutionem, ad terminos dicti textus *in l. Sejus, & Augerius*, ut patet ex deductis per Fachin. *lib. 12. contr. 71.* Surd. *dict. decis. 21.* Fusar. *qu. 296. a n. 65. ad 87.* Verùm neque iste erat casus, quoniam testator ulteriùs non providit, ideoque rectè intrare dicebam regulam, *quod potui nolui, &c.* quàm in specie ponderat Merlin. *de legit. lib. 2. tit. 3. qu. 9. n. 15.*

Et sic dum res erat in fieri, advertebam, quod filius ex beneficio legis, rectè petere poterat legitimam in corporibus, habita pro non scripta ejus dispositione in fructibus, 17 vel usufructu, reliquum verò obtinebat jure institutionis universalis de ipso factæ, non resolvendæ, nisi in casu purificatæ conditionis, sub qua substitutionis ordinatæ fuerant, ita jure suo percipiendo fructus, qui de jure non acce-

accedente expressa prohibitione, pertinent ad hæredem, atque restitui, vel imputari non debent, ex deductis *sub titul. de fideic. disc. 187. ubi concordantes*; Et consequenter adver-
18 tebam non intrare quæstionem, de qua *disc. præcedenti*, an cautela Soccini adhiberi posset per æquipollens, necne, quoniam neque dictum æquipollens aderat, unde propterea dicebam, quod forte testator id in animo habuerit, sed nescivit explicare, ideoque sibi imputaret ex dicta regula, *quod potui nolui, &c.*

Et licet meo stylo, ac genio adversetur formalitas verborum, nimiumque cordi sit propositio, ut non cortex,
19 & figura verborum, sed substantia voluntatis attendi debeat, ut in omni ferè materia advertitur, præsertim frequentiùs *sub tit. de fideicom.* Nihilominus advertebam id procedere quando ageretur de quæstione juxta casum, de quo *d. disc. præced.* quod scilicet accederet expressa prohibitio legitimæ cum dispositione, ut in casu in quo filius prohibitione non obstante, eam detrahere vellet; habere non posset reliquam hæreditatem, quam ita contra patris judicium retineret, unde propterea reduceretur quæstio ad punctum, an ex eo, quod dispositio concepta non esset per alternativam juxta dictam cautelam, seu substitutionem pœnalem, idem effectus resultaret, necne, istoque casu admittebam, quod substantia voluntatis potiùs attendenda veniret, nimiumque in hoc proposito suffragaretur clausula, *omnimodo meliori*, ad substinendam scilicet dictam prohibitionem, & caducitatem respectivè; Secus autem quando neutrum ex his accedit, cum tunc non intret quæstio, quæ tribuitur Cumano *dicto consil. 25. & 52.* Atque in hoc advertebam consistere causæ punctum.

Atque hinc dicebam, extraneum remanere quæstionem imputationis fructuum, vel ususfructus in legitimam, in
20 qua DD. nimium se involvere videntur, ut patet ex deductis *d. dec. 76.* Duran. quoniam ut advertitur *sup. d. disc. 10.* ista quæstio cadit, quando ille, cui legitima debetur, contra judicium testatoris percepit fructus, quos propterea imputare, vel restituere teneatur, ideoq; adinstar eorum, quæ habemus in materia usurarum indebitè perceptarum, intret quæstio, non super ipsa restitutione in genere, sed super ejus modo, an scilicet per viam imputationis ipso jure, vel potiùs per viam restitutionis, vel repetitionis indebiti.

Effectus enim magni sunt, an uno, vel altero modo, hujusmodi fructuum restitutio facienda sit; Primò scilicet,
21 ut ipse hæres gravatus, vel ejus successor, cui legitima debita est, dicere valeat se velle legitimam in corporibus, quia sic ei expediat præsertim in casu augmenti intrinseci, ac velle restituere fructus perceptos in pecunia, quam pro legitima recipere non tenetur, adeo ut hæc restitutio objici solùm valeat ad cum repellendum exceptione doli, quatenùs non restituat, sed restituendo non potest ei legitima denegari.

Secundò in idem, ratione fructuum, post factum casum restitutionis fideicommissi; atque contractam moram in restituendo; Ubi etenim fructuum imputationi locus esset ipso jure, tunc omnia bona fructifera integri assis in hæreditate fideicommissaria remanentia, restituenda essent cum fructibus à die moræ; Secus autem in altero casu, quoniam pro rata cadente sub detractionibus, faciet fructus suos jure dominii, & è converso nullum patietur damnum pro retardata restitutione fructuum in quantitate, nisi accedant requisita interessè lucri cessantis, vel damni emergentis.

Et tertiò fortius pro jure tertii, in quem aliquorum bonorum alienatio titulo singulari translativo dominii facta sit, ex causa correspectiva in causam detractionum expressam, vel à lege subintellectam, juxta deducta infra, *disc.* 25. quoniam fructuum perceptio ei non præjudicat, si procedendum est per viam repetitionis indebiti, vel restitutionis, secus autem si per viam imputationis juxta distinctionem, de qua infrà, *disc.* 30. ac etiam occasione Trebellianicæ *discur.* 33. Nisi fideicommisso pro reintegratione competat hypotheca, ut advertitur alia occasione *disc.* 25. cum similibus.

Hæc autem omnia cessant ubi ab initio, atque dum res
22 est in fieri, hæres, antequam fructuum perceptio æquatur, dicat velle separare legitimam in corporibus, unde oriatur quæstio in reliquo besse, ex quò idem dicat velle quoque, durante jure suo, percipere fructus ex titulo hæreditario, qui adhuc durat, dum testator non providit; Et hic erat casus præcisus.

In Proposito autem dictæ cautelæ Soccini; Quamvis
23 illa ex communi sensu DD. in Tribunalibus recepta sit, ex probabili ratione, quod filius acceptando unum ex alternatis, in altero sibi præjudicasse censeatur; Attamen istius, ac aliarum contraversiarum occasione observabam, quod insulsa videbatur altera ratio per Soccinum assignata, quod scilicet magis expediret filio habere integram hæreditatem in solo usufructu, quàm legitimam in corporibus, seu proprietate; Siquidem juxta modum calculandi jura vitalitia, de quo *sub tit. de Regal. disc. 30. & 31. & sub titul. de donat. disc.* 54. sine dubio magis expedit habere trientem in proprietate, quàm integrum assem in solo usufructu, qui ab initio expositus venalis, utique tanti non venderetur, dum valutandus non est ususfructus integræ hereditatis, sed solùm reliqui bessis, pro quo sine dubio non expedit trientem in proprietate dimittere.

FULGINATEN. LEGITIMÆ PRO JULIO, ET FRATRIBUS DE JACOBILLIS, CUM DELIIS

Casus determinatus per A.C. & Signaturam pro Deliis.

An legitima possit per parentem assignari filio invito in pecunia, vel mobilibus, seu alias, quam in singulis corporibus: Et aliqua de Statuto Fulginatensi excludente fœminas ob transversales à successione intestata, an importet etiam exclusionem à legitima. Et de modo calculandi legitimam, an habenda sit ratio de bonis à parente donatis, seu alias in vita distractis, Et quæ bona prius ex asse hæreditario detrahenda sint, præsertim lucrum dotale. Et an pro legitima competat necnè, via exequutiva.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Exclusus à successione, dicitur etiam exclusus à legitima.*
3 *Quando parens filiam exclusam agnoscit in suam cum certa qualitate, ista non potest dividi.*
4 *De Statuto Fulginaten. circa legitimam, & exclusionem filiorum ob agnatos transversales.*
5 *An, & quando possit legitima assignari in pecunia, vel certis effectibus.*
6 *Quæ in proposito dicatur ista causa.*
7 *An, & quando pro legitima competat via executiva.*
8 *In calculando asse hereditario pro detractione legitimæ, poncuda sunt etiam bona donata.*
9 *Legitima ex bonis mulieris debetur, detracto lucro Statutario viri tanquam æs alienum.*
10 *Item detrahendæ sunt expensæ funerum, & infirmitatis.*

DISC. XIX.

MOriens Margarita de Jacobillis, relicta legitima
1 Deliis ex Lucretia prædefuncta nepotibus, quam in quibusdam assignatis bonis præstari voluit, heredem scripsit Julium alioque ejus germanos fratres; Verum nepotes prædicti, aviæ judicio non acquiescentes, petierunt sibi decerni legitimam de jure debitam tanquam quotam omnium bonorum, in eorum singulis præstandam, seu in aliquibus, cum debita æqualitate, & proportione ex judicis arbitrio, juxta modernam prudentem praxim, ne alia omnia bona scissuram patiantur; Et introducta causa coram A. C. Scribens pro Julio, & fratribus reis conventis, dicebam precipuum punctum difficultatis consistere in eo, an actoribus per Statutum sublata esset illa intestata successio, quam jus commune eis decernit; Si enim locus esset Statuto exclusivo propter agnatos, fructuatoria remanebat inspectio, an per parentem legitima assignari potuerit necne in pecunia, seu in certa bonorum specie, quoniam si nulla legitima debebatur, multo magis illa voluntariè ita relinqui potuit.

Quod autem illi, qui per Statutum exclusi sunt ab intestata successione, exclusi etiam sint à legitima, dicebam esse magis communem opinionem canonizatam per Rotam
2 apud Seraph. *decis 963.* cum aliis latè deductis per Merlin. *de legitima, lib. 3. tit. 1. q. 2. n. 33. & seq.* ubi hanc opinionem benè comprobat, contrariis respondendo, & agitur supra in Lucana, *disc.* 10.

Neque

Neque obstare dicebam quod relinquendo legitimam, ita videretur avia agnovisse dictos nepotes in suos, quoniam
3 dum est actus voluntarius, ille ultra voluntatem operari non debet, neque idem judicium dividi potest, illud eodem tempore approbando, & reprobando, ex iis quæ in terminis agnitionis filiæ alias per Statutum extraneæ reputatæ, ac etiam in eodem proposito legitimæ relictæ filiis legitimatis cum clausula *sine præjudicio venientium ab intestato* habentur plures *hoc eod. tit.*

Clarius verò, ac indubitanter, stante expressa dispositione Statuti Fulginatensis registrati apud Put. *dec. 38. lib. 3.* ubi cla-
4 ris verbis decidit, ut fœminæ acquiescere debeant parentis judicio, ac legitimam, prout eis relicta est, obtinere, itaut neque supplementum petere valeant, ideoque ubi statutum intraret, casus esset planus.

Difficultas tamen erat, circa ejusdem Statuti applicationem; Licet enim apud Put. *decis. 3. libr. 3. & in apostila* de
5 hoc Statuto dubitatum fuerit, atque *dec. 127. eodem libr. 3.* firmata fuerit exclusi fœminæ, quamvis germanæ sororis ob remotum agnatum septimo gradu civilis distantem; Nihilominus Judex credidit, ejusque judicium Signatura probavit, quod non essemus in casu Statuti; cum illud disponat feminis dotatis, qualis respectu defuncti dici non poterat ista; Et de quo Statuto agit etiam Corn. *consil. 42. num. 5. & consil. 43. nu. 4. lib. 4.*

Quoties enim illud intraret, in verbis dirimit eam quæstionem, an exclusa fœmina, censeantur etiam exclusi descendentes per eam prædefunctam, in qua etiam de jure verior est affirmativa, ut in *Interamnen. & in aliis sub tit. de succession.*

Posito igitur, quod cessante statutaria dispositione, versaremur in solis terminis juris communis; Quamvis ego scribens pro reis conventis, admitterem regulas pro actoribus deductas, ut scilicet legitima sit quota bonorum, atque licitum non sit eam diminuere, seu vinculare, aut alia gravamina adjicere, cum dicatur successio necessaria, in qua moriens habet arbitrium à legè refrenatum, juxta vulgarem textum *in l. quoniam in prioribus, Cod. de inoff. testam.* cum concordantibus; Minusque licitum sit eamdem legitimam assignare in sola pecunia, vel in bonis deterioribus, aut minus fructiferis.

Nihilominus dicebam receptam esse limitationem, ut intret judicis arbitrium pro approbatione paterni judicii, quoties illud aliquod probabile rationis fundamentum habeat juxta *cons.* Oldrad. 113. *circa finem*, Menoch. *de arbitr. casu.* 173. *n.* 30. Rota *dec.* 753. *p.* 1. *divers.* & apud Merlin. *decis.* 866. *n.* 8. *cum concord.* per Merlin. *de legitima lib.* 5. *tit.* 3. *q.* 11. *nu.* 19. *cum seqq.*

Hæc autem justa causa in proposito rectè cadere videbatur, nedum ob rationem conservationis bonorum in agna-
6 tione, quæ in solo puncto juris, ad id reputata fuit sufficiens in proximè allegatis decisionibus, & in aliis per Merlin. *dicta, q.* 11. *nu.* 22. Sed etiam ob Statum prædictum, quod saltim in hac parte videbatur in proposito operativum; Ideoque (reflectendo etiam ad solam veritatem) credebam, quod actoribus legitima tanquam in casu omisso per Statutum debita esset, atque in hac parte non improbabiliter judicatum fuit, adeoque, quatenus bona assignata non sufficerent, locus esset supplemento; Verum non placuit resolutio in hac parte, cum dicta causa conservationis immobilium in agnatione, tam de jure, quam ex Statuto, omnino probabilis videretur; Adhuc tamen Signatura judicatum canonizavit, & quod non levem dedit admirationem, rescripsit cum clausula, *sine præjudicio*, denegando appellationem suspensivam, quod nulli fundamento innixum videtur.

Eatenus enim pro legitima intrat processus exequutivus,
7 quatenus illa petatur ex judicio testatoris, cum tunc assumere dicatur naturam legati, quod juxta opinionem Angeli, quam (Rota excepta) sequuntur Signatura, & omnia Urbis Tribunalia, habet viam exequutivam, ut in sua materia *sub tit. de legatis*; ubi de limitationibus; Ubi verò paternum testamentum impugnatur, atque, non ex eo, sed ex Judicis officio, ac juris dispositione, legitima petitur, tunc verius est, ut pro ea, via exequutiva non competat, ex deductis per Merlin. *hoc tract. lib. 5. tit. 4. q. 9. nu. 5. & tit. 3. q. 11. num. 43.* Rota *post eumdem, dec. 130. n. 3.* ac sæpius practicavi in eadem Signatura, præsertim *in Romana legitimæ de Asse*, de qua *sub tit. de feudis disc.* 19. in qua causa formiter hic articulus disputatus fuit.

Quamvis enim ego scribens in hac alia causa pro petente legitimam, dicerem, quod dura videatur hæc opinio, cum legitima debeatur loco alimentorum, quæ regulariter, ubi debentur Judicis officio ex dispositione juris, habent viam exequutivam, dum venter non patitur dilationem; Nihilominus hæc ratio parvipensa fuit, ob communem opinionem DD. in contrarium, atque ob regulam, de qua *d. decis.* 130. post Merlin. *de legitim.* ut via exequutiva danda non sit, nisi in casibus in jure expressis, inter quos iste non reperitur.

Multò verò magis in hac facti specie, in qua dicebam quod appellationi suspensivæ locus esse dicebam, quamvis alias regulariter ea non intraret ob duplicem mixturam, seu implicitam declarationem petitorii, tam circa punctum Statuti, an intraret, necne, quam circa alterum, an intraret arbitrium approbativum judicii defuncti super assignatione legitimæ in certis bonis; Unde liquet quale judicium possit unquam efformari super causarum eventu.

Incidenter autem, in ista causa disputatus etiam fuit punctus, frequenter in aliis habitus, præsertim *in Romana primogenituræ* inter illos de Bonaventuris coram A. C. super calculo legitimæ, an scilicet habenda sit ratio de bonis per parentem in vita donatis, & an de istis legitima detrahenda sit adversus donatarium, In hoc autem puncto plana est 9
hodie affirmativa, ut scilicet bona donata, seu alias titulo lucrativo distracta, extantia tamen, atque de tempore mortis non consumpta, ponenda sint in calculo assis hæreditarii, perinde ac si remansissent in bonis defunctis, ad effectum metiendi legitimæ quantitatem; Ita tamen, ut detrahenda sit ex restantibus bonis non donatis, quatenus sufficiant, sin minus in subsidium ex ipsismet bonis donatis, ex quibus, non obstante donatione facta in vita, supplementum deducendum est, ut aliis allegatis habetur apud Surd. *cons.* 332. *n.* 14 Rovit. *dec.* 100. *n.* 26. Rota *dec.* 86. post Merlin. *de legitima, decis.* 137. *num.* 2. *par.* 6. *recent. dec.* 57. & 136. *par.* 11. & in aliis.

Quod autem dicitur de subsidiaria actione competente ad bona donata contra donatarium, recipiendum est, non solum in casu insufficientiæ bonorum restantium, sed etiam in altero casu malæ qualitatis, quia scilicet parens, meliora, magisque fructifera bona donaverit, cum filius non teneatur legitimam accipere in deterioribus, minusque fructiferis ut supra; Ideoque sicut parentis ultimam voluntatem in hoc impugnare potest, ita pariter eamdem voluntatem explicatam per actum inter vivos, cum alias nimis de facili fraus legi fieri posset.

In proposito autem metiendi legitimæ quantitatem; In alia *Romana legitimæ* pro hæreditate Raphaelis Andosillæ cum creditoribus Michaelis Moroni, disputata coram A. C. Cum Anna Morona dicti Michealis filia, Raphaelis uxoris, habilitata esset per breve Pontificium ad testandum, non obstante, quod esset filiafamilias, atque in testamento instituisset hæredem virum, instituto patre in scutis decem pro legitima, dictusque pater, seu ejus creditores peterent supplementum; Ultra disputationem habitam super puncto, an debitore agnoscente legitimam in parte tantum, ex hujusmodi actu resultet agnitio in totum, itaut ejus creditoribus competat jus ad supplementum, de quo habetur actum *sub tit. de credito, disc.* 138. Fuit etiam disputatum de quantitate legitimæ, an scilicet ista detrahenda esset de universo asse consistente in dote scutor. 8. m. Vel potius detra- 10
cto prius lucro Statutario tanquam ære alieno, ex restantibus bonis; Cumque ageretur de legitima ascendentis, itaut non intraret illa difficultas, quæ *ex l. hac editali, C. de secundis nuptiis*, resultat in legitima filiis debita in bonis parentis binubi; Visum fuit casum esse planum pro detractione lucri prius facienda *juxta cons.* 374. Baldi *lib. 4. in fine*, Gabr. 11
cons. 101. *n.* 10. *lib.* 1. Surd. *cons.* 30. *n.* 34. Gratian. *discept.* 300. *n.* 33. *& seq.* Merlin. *de legit. lib.* 2. *tit.* 1. *q.* 22. *n.* 28. Eodem modo quo, etiam ante legitimam, in eadem controversia dictum fuit, ut tanquam æs alienum detrahendæ essent expensæ funerum, ac ultimæ infirmitatis, ex deductis per Merlin. *dicto lib.* 2. *tit.* 1. *q.* 15. *n.* 1. *& per tot.* quoniam est impensa, quæ prius ab asse hæreditario detrahenda est.

ADNOT. AD DISC. XIX.

EXclusus à successione, an dicatur etiam exclusus à legitima, habetur supra, occasione Statuti Lucani, *disc.* 10. *& in hoc tit. disc.* 41. *&* 44.

De hoc eodem Statuto Fulginaten. in materia exclusionis, habetur *sub tit. de success. ab intest., disc.* 51.

ROMANA LEGATI AD INSTANTIAM EXEQUUTORUM TESTAMENTI Principissæ Plumbini Applanæ, Ducissæ Bracchiani.

Responsum pro veritate.

An legata imputentur in legitimam; Seu quatenus ista per renunciationem inter vivos sit remissa; An jus illam petendi, restitutum censeatur, ex declaratione ab ipso parente facta super legato, ut censeatur factum, ultra id, quod filio de jure competeret.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An, & quando legatum censeatur animo compensandi.*
3 *An, & quando legatum censeatur duplicatum, vel potius unum alteri inesse.*
4 *An legitima petatur per eum, qui illum renunciavit ex voluntate parentis renunciatarii.*

DISC. XX.

1 PRincipissa Plumbini Isabella Appiana, Bracchiani Ducissa, de qua mentio habetur, occasione negotiorum Status Plumbini, *sub tit. de feudis, disc.* 57. & alibi, unicam habens filiam ex primo matrimonio monialem professam in Monasterio S. Catharinæ de Senis, quæ ante professionem, amplam fecerat renunciationem ad favorem ejusdem matris, de omnibus ejus bonis, & juribus, etiam legitimæ, sua annua vitalitia præstatione scutor. 150. aliarumque specierum pro victu, & vestitu; In ejus testamento (in quo de universo ferè asse in pios usus disposuit) dictæ filiæ moniali reliquit in menstrua scut. 30. pro omni, & toto eo, quod ab ejus hereditate, tam ex causa legitimæ, quam in quacumque alia causa, & titulo prætendere posset, itaut nihil aliud assequi deberet, sub pœna caducitatis à dicto legato; Post testamentum verò quosdam confecit codicillos; in quibus declaravit, quod licet legatum ad favorem filiæ in testamento relictum contineret, ut nihil aliud ab ejus hereditate prætendere posset; Nihilominus, si vel de jure, vel vigore renunciationis aliud competeret, declaravit illud remanere salvum; Hinc proinde orta est extrajudicialis controversia, inter executores testamentarios; & dictam monialem; Ista etenim prætendebat, non solum menstruam prestationem jure legati contentam in testamento, ac alteram annuam à matre vivente prestari solitam vigore renunciationis, sed etiam legitimam, quam, non obstante renunciatione, ac dicta dispositione testamentaria, dicebat sibi à matre preservatam fuisse; E converso autem, prætendebant executores, aliud non deberi, nisi majorem præstationem menstruam scutorum 30. sub qua dicebant comprehensam esse alteram per testatricem viventem prestari solitam.

Cum autem concorditer, meum pro veritate consilium desuper expetierint; Contra executores circa pretensam imputationem prioris annuæ prestationis debitæ in vim renunciationis, in posterius legatum, respondendum censui, tanquam in casu indubitabili voluntatis clare, qua concurrente non intrant præsumptiones, conjecturæ, & argumenta ad vulgarem text. *in l. ille aut ille, ff. de legat.* 3 Licet enim DD. certent inter se, an & quando legatum censeatur factum animo compensandi; Attamen est questio potius facti, quam juris, super constituendo scilicet regulam in dubio, seu desumendo ambiguam, & obscuram voluntatem ex conjecturis; Ubi autem voluntas est clara, nemo dubitat, ex deductis per Menoch. *lib. 4. præsumpt.* 109. Mantic. *de conject. lib.* 10. *tit.* 2. Altograd. *cons.* 86. *lib.* 1. Rota *decis.* 41. *p. 9. recen. dec.* 257. & 312. *part.* 6. & pluries in sua materia *sub tit. de legatis.*

Neque alicujus ponderis esse dicebam motivum ex parte executorum excitatum, quod testatrix in codicillis non ordinasset determinatè, ut filiæ alia jura præstarentur, dum solum loquuta fuit conditionaliter, quatenus competerent; Siquidem ad hunc effectum necessaria non erat voluntas determinata, ut utrumque daretur, sed sufficiebat exinde probari voluntatem testantis, quod legatum relictum non esset animo compensandi cum antecedenti debito ex contractu, quod remanet repetibile ex se, & ex prioribus actionibus; Tunc enim dicebam intrare difficultatem, quando utrumque peteretur jure dispositionis per eandem ultimam voluntatem, quia nempè prior esset inefficax; Utputa si testator dicat in codicillis, relinquo Titio centum, ultra 200. relicta in testamento, testamentum autem sit imperfectum, seu alias invalidum, codicilli verò validi, an sciret istorum jure integra 300. peti possint, Et de hoc agunt DD. 3
apud Surd. *dec.* 285. *n.* 12. & 13. Rovit. *dec.* 87. *n.* 6. & *seqq.* Rota apud Burat. *dec.* 799. *n.* 5. *dec.* 174. *n.* 49. *p.* 6. *rec.* & in aliis, atque ad hunc effectum queri solet, an testator determinatè, vel conditionaliter loquutus fuerit.

Dictum verò motivum conditionalis loquutionis, rectè intrare dicebam contra monialem respectu legitimæ, quam ipsa, ultra legatum prætendebat, quasi quod ita testatrix, per dictam codicillarem dispositionem, ei remisisset jus ex renunciatione quæsitum, eamque reintegraverit ad statum pristinum; Cum enim id ita importaret formalem retrodo- 4
nationem, hinc proinde ad hunc effectum requiruntur, tam certa scientia juris quod remittenti competit, quam voluntas certa; & determinata remittendi; Utrumque autem in presenti deficiebat, dum testatrix conditionaliter loquuta erat de eo jure, quod competebat, & quatenus competeret; Et tamen advertebam, ut sufficeret, quod verba essent dubia, & ambigua, ut excludenda veniret donatio regulariter in dubio non præsumenda; Ideoque extranea esse dicebam à casu ea, quæ habentur deducta in precedentibus, de restitutione suitati, & de agnatione illius, quæ alias extranea sit, ob aliquam dispositionem etiam pro jure legitimæ &c. cum ad istum effectum importantem formalem donationem juris certi competentis per contractum voluntas etiam conjecturata, & qualis sufficiens reputetur; Hinc proinde concludendo utramque prætensionem minus subsistentem esse respondi, atque partes acquieverunt.

ADNOT. AD DISC. XX.

AN, & quando legatum censeatur factum animo compensandi, habetur in sua sede *sub titulo de legat. disc.* 15.

Prout etiam de altera quæstione super duplicitate, vel unicitate legati habetur *eod. tit. disc.* 16.

BONONIEN. FIDEICOMMISSI PRO MONASTERIO CONVERTITARUM.

Responsum pro veritate.

Assignatio bonorum cum onere fideicommissi, facta per patrem filiis in vita, pro dote materna, & legitima, ac omni, & toto eo &c. An detractiones efficiat, adeout filii non possint eas liberas prætendere.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Legitima cadit sub fideicommisso ordinato in assignatione, quam pater fecit filiis illam acceptantibus.*
3 *Declaratur quando id procedat.*
4 *Bona, quæ per patrem in vita fuerunt assignata filiis, an possint gravari fideicommisso.*

DISC. XXI.

ALexander de Barberiis, ad preces Pauli, & Julii Cæsaris 1
filiorum, eos emancipavit, atque cupiens obviare litibus, & controversiis, quæ post ipsius mortem, inter eos, occasione divisionis hæreditatis oriri possent, per actum inter vivos, eisdem distribuit, & assignavit nonnulla bona particulariter descripta in instrumento, quæ ipsis filiis præsentibus, & acceptantibus assignata esse voluit pro satisfactione dotis maternæ, ac legitimæ, & cujuscumque portionis de jure debitæ, ac generaliter pro omni, & toto eo &c. cum assertione per recipientes facta, quod bona sic assignata longè excederent valorem dictæ dotis maternæ, ac legitimæ, & quarumcumque prætensionum; Ea tamen lege, & conditione expresse adjectis, & acceptatis, ut omnia supradicta bona subjacere deberent quibuscumque substitutionibus, & fideicommissis per ipsum Alexandrum in testamento jam condito ordinatis, vel alias de novo ordinandis.

Cum autem ex Paulo fuisset superstes Jacobus, atque per istius mortem sine filiis; scripto hærede Monasterio Convertitarum, apertum esset fideicommissum à dicto Alexandro ordinatum ad favorem filiorum, seu descendentium dicti Julii Cæsaris; Hinc orta est controversia, an dicto fideicom-

commisso non obstante, Monasterio prædicto competerent liberæ detractiones dotium maternarum, ac legitimæ, & trebellianicæ; Atque super hoc pro veritate consultus,

Respondi, quod quando fideicommissum, dispositivè, non autem relativè ordinatum esset in ipso assignationis contractu, per filios in omnibus acceptato, tunc pro non 2
competentia detractionum probabilius respondendum veniret, ex iis, quæ per bona fundamenta in specie probat Peregr. *cons.* 40. *n.* 9. *cum seqq. lib.* 1. à quo totum mutuasse videtur (tacito authore) Mangil. *de imput. q.* 115. *n.* 51. *cum seqq.* Idque facilius, stante dicta circumstantia, quod bona assignata longè excedebant detractarum detractionum valorem, cum tunc duplex concurrat commodum vinculi, seu oneris compensativum; Primò scilicet obtinendo plusquam eorum jura importarent; Et secundo in preventione, obtinendo in vita id, quod sperare non poterant nisi post mortem patris, cui præmori poterant, ideoque magis eis expediret tales detractiones ita vinculatas obtinere, quam eas liberas post dictum futurum incertum eventum expectare, ut observant Molina *de primogenitura, lib.* 2. *c.* 3. *n.* 7. & 36. Hodiern. ad Surd. *decis.* 322. *n.* 44. & *seqq.* Merlin. *lib.* 2. *controv.* 34. *n.* 3. & habetur deductum *in Romana donationis de Jordanis, sub tit. de donation. disc.* 1. & in decisionibus in ea causa editis.

Clarius quia ipsemet filius, cui assignatio prædicta facta fuit, vivens nunquam conquæstus est, neque contrarium animum declaravit, expresse, vel etiam tacite, quia nempe agetur de substinendis alienationibus per ipsum factis in hujusmodi detractiones referendis, vel debitis contractis, sed questio erat cum hærede contendente de causa lucrativa, & in quem satis de jure dubitatur, an transeat facultas rejiciendi hujusmodi onus, ut habetur alibi *hoc eod. tit.* Unde propterea tali casu, quod scilicet fideicommissum dispositivum 3
in ipso disponendi actu ordinatum esset, planum videbatur, ut dictæ detractiones quoque comprehenderentur, proindeque illarum separatio non competeret.

Verum quia fideicommissum ordinatum erat in testamento jam condito, atque tenor assignationis ostendebat, quod pater noluerat aliquid addere dispositis in testamento, sed solum solicitus fuit in bonis assignatis exprimi, ac respectivè acceptari onus fideicommissi in testamento jam condito adjectum, vel in alio faciendo adjiciendum; Hinc proinde contrarium probabilius respondendum censui, cum dicta assignatio esset simpliciter relativa, nullam in hoc continens novam dispositionem, per quam alterari voluerit id, quod ex testamento ordinato, vel ordinando de jure restituendum veniret.

Reservatio etenim in dicto instrumento assignationis facta, aliud in effectu non videbatur continere, nisi provi- 4
dam cautelam, ne alias filii prætendere possent, ut bona per contractum translativum dominii ex tunc eis quæsita, non caderent sub testamento ordinato, vel ordinando, utpote capiente bona per defunctum possessa de tempore mortis, juxta casum, de quo in his præcisis terminis Rota *in Rhegien. bonorum* 23. *Februarii* 1646. & 23. *Januarii* 1647. *coram Corrado*, quarum prima est impress. *decis.* 387. *p.* 9. *rec.* & *dec.* 110. post Merlin. *de legitima*; Expressio autem satisfactionis pro dotibus maternis, & legitima, pariter fuit cautela, quæ tendebat in idem, ne scilicet, ultra dicta bona assignata, possent filii ex aliis prætendere dictas detractiones, ut juridice potuissent, dum bona valide, ac perfectè filiis donata, non imputantur, ut in specie advertitur in proximè supra allegatis decisionibus, ideoque his inconvenientibus pater ita occurrere voluit, non autem quod habuerit animum disponendi de bonis, ac juribus propriis ipsorum filiorum, eaque fideicommisso supponere. Neque his obstare observabam dictas contrarias authoritates, cum ille percutiant priorem casum supra distinctum ubi sciliceet fideicommissum, tunc in ipsomet donationis, seu assignationis instrumento ordinatum esset, adeout dispositivè ibi pater loquutus esset, secus autem ubi relativè, atque ad dictos alios fines, seu cautelas.

ANNOT. AD DISC. XXI.

DE materia hujusmodi assignationis, vide notata *ad disc.* 40. *de Donat.*

ROMANA PRIMOGENITURÆ DE COSTA PRO PHILIPPO COSTA CUM OCTAVIO FRATRE.

Casus disputatus coram A. C. pendet in Rota.

An pater reportare possit à filio translativam cessionem legitimæ in ejus bonis, itaut dicit valeat sui ipsius, ejusque hæreditatis creditor cum jure fructuum, aliisque effectibus.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De cessione legitimæ, quam filius faciat ipsimet patri viventi.*
3 *Cessio facta per debitorem creditori, resolvitur in quietantiam.*
4 *De casu, in quo cessio legitimæ facta ipsimet patri, subsistat favore tertii, in quem pater disposuit.*

DISC. XXII.

JUxta seriem, de qua in hac eadem causa *sub tit. de servitutibus* ad materiam ususfructus, *disc.* 58. in controversia habita inter Octavium, & Philippum fratres de Costa, ex diversis titulis successores Octavii Costæ, senioris eorum 1
avi, commissa causa per Signaturam gratiæ A. C. cum voto duorum Locumtenentium; Inter plures punctos fuit iste, an Octavius junior dicti Octavii senioris donatarius, ex ejus persona, ac juribus detrahere posset ab ejusdem Octavii senioris hæreditate legitimam debitam Joanni Antonio Coste filio, qui ipsi patri viventi ejus legitimæ portionem cesserat; Atque per dictos Judices ea decreta fuit una cum fructibus, perinde, ac si ipsemet filius eam petteret, vel ejus nomine quilibet tertius cessionarius, commissaque appellationis causa in Rota, ea pendet indecisa, nisi concordia omnibus controversiis finem dederit.

Super hoc autem puncto, an scilicet pater reportare pos- 2
sit à filio contra seipsum, ejusque hæreditatem, translativam cessionem legitimæ, ita & tàliter, quod ejus naturam retineat, tam pro cursu fructuum, quam pro aliis effectibus; Quantum occasione dictæ disputationis, coram A. C. & in Signatura hincinde deductum fuit, non habetur specialiter per DD. tractatum; Siquidem quæstio tractata per Merlin. *de legit. lib.* 3. *tit.* 3. *qu.* 4. percutere videtur defectum potestatis cedendi, ob difficultatem, quod ageretur de deducendo in contractu successionem viventis cum præsupposito, quod ageretur potius de cessione extinctiva, ideoque non descenditur ad istos terminos, an idem pater sit capax cessionis translativæ, contra seipsum, ejusque hereditatem, adeout tanquam tertius cessionarius possit de illa ad alterius favorem disponere.

Procedendo igitur cum regulis, ac principiis generalibus, videbatur probabilior negativa, ex eo quod actio, & passio esse non possint in eodem subjecto, neque unus, & idem (cessante titulorum, seu negotiorum diversitate) esse potest sui ipsius debitor, & creditor, unde propterea receptum est, ut cessiones per debitorem à creditore reportatæ, veræ cessiones dici non possint, sed potius vim quietantiæ, & liberationis habeant, Peregr. *de fideicom. art.* 12. *num.* 32. & 34. 3
Rota *decis.* 326. *n.* 3. *p.* 2. *rec.* Greg. & Adden. *decis.* 68. & 75. Eatenus etenim hujusmodi cessiones, quæ reportantur à creditoribus satisfactis ex pretio bonorum debitoris, substinentur tanquam cessiones jurium translativæ, quatenus ex præcedenti conventione concernant favorem emptoris, vel alterius, de cujus pecunia solutio fiat.

Conventio autem inter patrem, & filium, super legitima, de qua igitur *in l. si quando, §. illud C. de inoff. testam.* & de qua post alios Merlin. *d. lib.* 3. *tit.* 3. *qu.* 4. percutere videtur potius præventivam solutionem, seu liberationem, non autem donationem, ac formalem cessionem translativam.

In contrarium (quamvis pro altera parte scribentes nil relevans deducerent) ponderabam quod hæc difficultas cadere posset, quatenus pater, qui hujusmodi cessionem reportavit, alias non disponeret, cum tunc incompatibile fit, ut hujusmodi cessum jus remaneat in hæreditate penes eumdem hæredem universalem, ob incompatibilem concursum actionis, & passionis in eodem subjecto; Secus au- 4
tem ubi moriens de hoc jure disponat ad favorem alterius, quam hæredis, cum tunc, non quidem ex jure cesso, sed jure

jure legati, nil prohibere videatur, ut in eum, in quem ita dispositum sit, omnia jura legitimæ ita cessæ transire possint, perinde ac si testator dixisset, quod illa bonorum quota, quam ex legis necessitate relinquere tenebat filio, nisi hic per cessionem suo juri renunciasset, atque se de medio non substulisset, censeretur alteri jure legati relicta, cum juribus, ac prærogativis legitimæ, illa præsertim fructuum, super quibus erat principalis quæstio,

Potissimè quia circa dictam inspectionem fructuum, id vere dici non potest privilegium legitimæ, quonjam potius est sequela, seu effectus dominii illius quotæ bonorum, perinde ac si tertius, in quem dispositum est, in ea quota institutus esset; Ideoque in iis quæ respiciunt punctum juris (reflectendo ad veritatem,) habebam difficultatem contra hanc partem, pro qua scribebam; Gravamen autem adesse videbatur ob circumstantias facti, ex quibus constare videbatur, quod hujusmodi cessio fuisset potius in compensationem ejus, quod dictus Joannes Antonius ratione administrationis negotii, & ex aliis causis patri debebat, & consequenter quod esset quietantia, vel solidatio debiti, & crediti, unde propterea non intrarent termini cessionis translativæ;

ADNOT. AD DISC. XXII.

Conferunt deducta *in hoc tit. disc.* 40. occasione agendi, an sub donatione universali filio facta per patrem, vel per matrem, veniat legitima, quæ per ejusdem filii donatarii mortem ipsi donatori debita est.

ROMANA LEGITIMÆ DE ASTE PRO MAURITIO DE ASTE.

Discursus pro veritate in congressu.

An in legitimam filii imputari debeant debita per eum contracta, quæ per patrem de superiorum mandato soluta fuerunt, quoties debita prædicta sint nulliter contracta, vel sint exceptione elidibilia.

SUMMARIUM.

1 *Casus controversiæ.*
2 *In dubio cessante titulo donationis, pro imputatione.*
3 *Debita filiæ per patrem soluta imputantur, & de ratione.*
4 *Principum preces dicuntur præcepta.*
5 *Declaratur conclusio, de qua n. 3.*
6 *De Statuto Urbis 152. super contractibus, & debitis filiorum familias.*
7 *Patre, etiam ex intervallo an possit approbare.*
8 *Ratificatio actus nulli operatur, ut nunc, & non retrotrahitur.*
9 *Solvens alteri quam vero creditori de mandato Judicis, vel superioris quando liberetur.*

DISC. XXIII.

1 Præsupposita facti serie, de qua in hac eadem causa, inter easdem partes *sub tit. de feudis, disc.* 19. ubi de puncto, an primogenitus, cui ex lege investituræ defertur feudum novum, teneatur illud vel ejus pretium in legitimam imputare; Cum heredes Joannis Baptistæ patris, prætenderent ut à Carolo filio primogenito imputanda essent sc. 30. m. per dictum patrem erogata in extinctionem æris alieni per eumdem Carolum contracti, super hanc imputatione prius quam super feudi introducta fuit causa coram A.C. seu uno ex ejus Locumtenentibus, quo expetente votum Rotæ, in ista coram Dunozetto disputatus fuit articulus, atque sub die 22. Junii 1640. prodiit resolutio pro imputatione, ut constat ex decisione, quæ habetur impressa apud modern. Merlin. *de legitima, decis.* 158. confirmata 10. Februarii 1642. coram eodem, licet hæc secunda parum, vel fortè nihil agat de articulis juris tractatis in præcedenti, sed solùm de quodam chirographo Pontificio, adeout dicta secunda disputatio, in facto potius, quam in jure principaliter consisteret, & utraque decisio habetur impressa inter illas Dunozet. *dec.* 584. & 649.

Resolutionis prædictæ fundamentum fuit, quod pater solvendo debita, nunquam factis, vel verbis usus est termino donationis, qua cessante, cessat regula imputationis exclusiva, sed potius intrat altera, quod ubi agitur de actibus, vel verbis ambiguis, seu æqui vocis, quæ se possunt habere ad donationem, vel preventivam solutionem legitimæ filio debitæ, pro imputatione potiùs capienda est præsumptio ex plenè deductis in dicta decisione.

Item cum non ageretur de bonis donatis, vel alio titulo ipsi filio immediatè datis, sed de ejus debitis solutis, (rejecta opinione distinguentium inter solutionem necessariam, & coactam, ac spontaneam, & verè voluntariam) firmatur, magis communem, & veram esse, ut indefinitè quicquid pater filii creditoribus in æris alieni extinctionem solvit, regulariter imputandum sit in legitimam, nisi constet id actum esse animo donandi, ea assignata ratione, quod ubi etiam sponte, ac sine præcisa necessitate solvit, adhuc dicitur solvere coactus, ex quadam coactione, seu necessitate causativa originata ab amore paterno, ac à stimulo naturali, nè videat filium per creditores vexari, atque in carceribus detrudi, seu alias in fugam poni, cum personæ, & famæ incommodo, ac præjudicio. 3

Multò magis quia dici poterat adesse coactionem veram, ac præcisam, dum Joannes Baptista pater, rogante, & suadente Cardinali Barberino Urbani Octavi tunc regnantis nepote, superincendentiam Urbis, ac Status Ecclasiastici juxta solitum habente, id egerat ex axiomate, quod Principum, ac superiorum preces, & suasiones, sunt præcepta, ut latius in eisdem decisionibus, in quibus pleraque alia tractantur, quæ facti potiùs quam juris inspectionem habent, tam super enunciato chirographo Urbani, quam super motivo per tunc Scribentes pro filio excitato, quod hujusmodi debita per ipsum contracta essent in causam condecentium alimentorum, quæ in victu, vestitu, ac familatu, per tenacem senem denegata supponebantur, atque ad limites dictarum decisionum prodiit sententia, quæ in judicatum transitum fecit. 4

Sequuta morte dicti Caroli, superstite Mauritio filio; qui duplicem personam gerendo, cum seipso lites prosequi coactus est, ut in dicta alia causa *sub tit. de feud. d. disc.* 19. Cum coram eodem A. C. prosequeretur aliam litem à patre cœptam super imputatione feudi, atque in hoc statu ad dictæ causæ defensionem, in ipso assumptæ Advocationis initio evocatus essem, tali disputatione pendente, Hinc tanquam novus successor, congressum Advocatorum pro veritate desideravit quoque super ista controversia, in qua ejus pater iam succubuerat, an scilicet expediret curare committi in Rota causam restitutionis in integrum, vel quatenus commissa esset causa appellationis, eam deberet prosequi.

In hoc autem congressu, ego, cui tanquam juniori onus incumbebat, post causæ Patronum, ea, quæ facti sunt exponentem, prius discurrere; Dicebam desperatum opus videri, assumere impugnationem decisionum, præsertim primæ cum eisdem fundamentis alias deductis, ac rejectis, quoniam cessantibus probationibus super animo donandi, sublatoque etiam ex facto alio motivo, quod debita contracta essent ex necessitate alimentorum, decisiones prædictæ pro meo judicio videbantur probabiles, beneque fundatæ, dum ex facti circumstantiis verè constabat, quod pater alias industrius, & tenax, non voluntariè, sed omnino invitus, ex quadam coactione causativa, magis forsan efficaci quam præcisa, summam adeo notabilem solverat, præsertim quia spatio octo, vel novem annorum intermediantium, dum hæc discurrebantur, dictæ decisiones, in Curia, quoad ea quæ juris sunt, sæpius receptæ fuerant, & quodammodo magistrales in materia reputatæ,

Mea tamen sententia erat, ut probabiliter dictæ resolutiones impugnari possent ex novo motivo in decisionibus non discusso, quod scilicet tunc intrare diceretur etiam in patre voluntariè solvente, illa necessitas causativa, quæ à paterno amore, vel naturali stimulo oriri dicitur, quando debitum est tale, pro quo filius molestias, in prima decisione, ut supra præsuppositas, pati posset: Id autem in præsenti applicari non poterat, stante dispositione Statuti Urbis 152. per quod ipso jure annullantur omnes contractus gesti per filios familias absque consensu patris; Unde propterea receptum est ut hujusmodi debita, ita per filios familia contracta nullam contra eosdem pareant actionem, vel obligationem, nec civilem, nec naturalem; adeout hodie recepta opinio sit, ut hujusmodi obligationes utpotè à Statuto omnino infectæ, declaratæ, censeantur dolo, fraude, vel metu extortæ, neque obligent in conscientia, ut sæpius in suæ materia *sub tit. de alienat. & contract.* ideoque corruebat totum decisionis fundamentum; Neque dici poterat quod pater rem utilem pro filio gessisset, sive quod ita mediatè eidem filio per organum creditorum præventiva legitimæ solutio facta esset, dum illi juridicè tales non erant; Quamvis enim prima decisio, hujus excitato motivo breviter sine aliquo discursu respondeat cum solo motivo, quod actus non fuerit voluntarius; Attamen responsio videbatur nullius ponderis, nisi quatenus influat in secundam, ex duabus sequentibus difficultatibus. 5 6

Duas tamen proponebam difficultates, quæ per alteram partem adversus istud novum motivum fieri poterant, & quæ me tenebant adhuc indeterminatum; Primò scilicet quod dictum Statutum ad literam excipit omnes illos casus, in quibus de jure communi Macedonianum non intrat, sed valida filiorumfamilias obligatio reputetur; Et secundò, quod pater, qui filii debitor erat in legitima, solvendo alteri quam vero creditori de mandato superioris, rectè solvisse dicatur, adeout liberationem assequatur.

Quatenùs pertinet ad primam, text. *in l. finali, Cod. ad Maced.* disponit quod pater solvendo debita filii, censeatur illi approbare, itaut cesset *Senatus Cons. Maced.* dispositio, unde per DD. infertur ad quoscumque actus approbatorios, ideoque data debitorum revalidatione subsisterent fundamenta decisionis. 7

Considerabam posse responderi, quod textus predictus procedat attentis terminis juris communis, juxta quos contractus gesti per filium familias, per eumdem Senatum prohibiti, non sunt ipso jure nulli, sed solum actio ex eis resultans est exceptione elidibilis, ideo non mirum, si superveniens paternus consensus retrotrahatur, quoniam reperit principium conservabile, atque talis consensus non operatur revalidationem actus alias invalidi, sed remotionem exceptionis, quæ dari poterat adversus actum, qui interim habeat implicitum statum validitatis; Secus autem ubi actus est ab initio irritus, ipsoque jure nullus, quoniam cum tunc subsequens consensus, seu ratificatio, nullum inveniat principium conservabile, impossibile est dare retrotractionem, sed ratificatio operari dicitur ut nunc, atque importare actum omnino novum, Bald. *in l. eadem, l. finali, C. ad Maced. num.* 9. & cæteri plenè & congesti per Surd. *decis.* 245. Salgad. *in labyrint. part. 2. cap. 21. numer.* 53. & *sequ.* Rota in *decis.* 35. post Merlin. *de pignor.* & sæpius, unde propterea dici poterat quod promissio facta per patrem de solvendo debita cum subsequuta solutione, potius ipsius patris, quam filii debitum contineret, dum nullum, & nihil æquiparantur. 8

Quoverò ad alteram difficultatem coactæ solutionis de mandato Principis, seu ejus, qui Principis vices gerebat, obstare videbantur quæ habemus de solvente alteri quam vero creditori de mandato superioris, vel Judicis, ut liberetur, juxta deducta per Afflict. *dec.* 150. Franch. *dec.* 107. Menoch. *de arbitr. cas.* 137. Carol. de Grass. *de except. c.* 25. cum aliis *sub tit. de credito, disc.* 58. 9

Dicebam tamen posse dupliciter responderi; Primò quod ad dictum effectum requiritur preceptum formale cum comminatione pœnæ, vel damni, adeout adsit, vel coactio actualis, vel saltim imminens ut per Bart. *de tyrannid. n.* 25. Ruin. *cons.* 22. *n.* 5. *lib.* 5. & 147. *n.* 12. *lib.* 1. & cæteri collecti per Grass. & alios *ubi supra*, & non semel in dicta sua materia *sub tit. de credito* præsertim *dict. disc.* 58. In presenti autem nullum aderat preceptum pœnale, nullaque comminatio; Licet enim ex parte heredum supponeretur, quod pater ex ista causa fuisset carceratus; Nihilominus de facili id removebatur in facto, in quo justificabatur quod circa ea tempora, sequuta quidem fuisset dicta carceratio, sed ex alia causa, atque revera aliud non præcesserat, nisi dicti Cardinalis viri nimium timoratæ conscientiæ rogitus, ac suasiones, quos actus admittebam, juxta sensum decisionis, importare specié præcepti ex dicto axiomate, quod Principum preces præcepta important, ad effectum, ut non diceretur solutio omnino spontanea, & ultronea, præferens animum donandi; Non autem ad presentem effectum, ut solvendo indebitum eis, qui juridicè nil con'equi debebant, à proprio debito liberaretur, cum ad hunc effectum requiratur coactio præcisa; Ad quod propositum benè conferunt deducta per Decium *cons.* 507. de solutionibus factis per Augustinum Chisium Duci Valentino, de eo quod debebatur Principi Plumbini pro appaltu venæ ferri de tempore quo Valentinus Statum Plumbini occupabat. 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Secundò in idem copulativè requiritur, quod adversus pœnale preceptum replicetur, ac deducantur exceptiones, quæ ex parte ipsius creditoris deduci possent, faciendo totum posse, & sic totum id quod salva sua salute, ac honestate facere poterat, vel saltim id denunciando ei, de cujus prejudicio agitur, quando id commodè sequi potest, ut in presenti, alias dicitur spontè solvere, atque liberationem non assequitur Bald. *in l. falsus, n.* 35. & *seq. C. de furtis*, & cæteri apud Decium, Menoch. Afflict. Franch. & alios *ubi supra, & d. disc.* 58. *de credito.* 21

Responsiones in puncto juris videbantur solidæ, & aptæ ad evacuandas difficultates, Verùm adhuc supererat timor in facto, ex defectu applicationis, quoniam supponebatur quod per extrajudiciales notitias de facili in judicio justificari posset ut omnia præmissa per dictum Cardinalem gesta essent, non ad instantiam creditorum, sed ipsismet Caroli, qui fortè non advertendo ad hoc præjudicium imputationis in legitimam, ita credidit liberari à creditorum molestiis, quas pati non poterat judicialiter, sed patiebatur ratione convenientiæ; Hoc enim posito, quamvis isti actus importarent, ut nunc, attamen in præjudicium ipsius Caroli ratificantis, nil interesse videbatur, an operarentur ut nunc, vel ut tunc, cum hujusmodi inspectio solùm cadat ad effectum juris interim quæsiti tertio dum solvens debitum de mandato, & voluntate sui creditoris, rectè solvere dicitur, cum ad tertium non pertineat; sed ad ipsum mandantem, seu consentientem, an debitum sit verum, necne; Et ex ista facti circumstantia, concludebam quod casus haberet graves difficultates, potiusque timeri deberet succumbentia, quam sperari victoria; Potissimè dum non agebatur de puncto novo, sed de causa jam sopita; Ideoque concludebam, stante alia causa pendente super imputatione feudi, ut supersedendum esset in hujusmodi prosequutione, atque in ea capiendum esset consilium ab exitu, seu progressu dictæ alterius causæ, cui voto cæteri adheserunt, dictaque controversia finem habuit per concordiam enunciatam *d. disc.* 19. *de feud.*

ADNOT. AD DISC. XXIII. & XXIV.

Circa ea, quæ concernunt materiam imputationis in legitimam. Vide notata suprà, *ad disc.* 13. & 14.

BONONIEN. SEPARATIONIS BONORUM PRO CREDITORIBUS PAULI DONDINI CUM FRATRIBUS DONDINIS.

Casus variè decisus per Rotam.

An donata filio primogenito cum perpetuo onere primogenituræ, imputentur in ejus legitimam; Et de materia imputationis, an scilicet, & quid imputetur; Et præsertim, an imputari debeant dotes matris prædefunctæ, in legitimam nepotis.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De quæstione an donatio facta filio imputetur in legitimam.*
4 *Datur theorica, seu distinctio generalis.*
5 *Quid de feudo novo per patrem acquisito pro filio.*
6 *De distinctione inter donationem perfectam inter vivos, & imperfectam.*
7 *Quod sit quæstio facti, & voluntatis, & quomodo decidenda.*
8 *Inæqualitas inter filios est argumentum imputationis.*
9 *Quod donatio contemplatione matrimonii tanquam causativa imputetur.*
10 *An ista donatio sit cognita in jure communi, & an sit necessaria.*
11 *De ejusdem donationis resolutione soluto matrimonio.*
12 *Quando proprie procedat quæstio imputationis donationis.*
13 *Donatio cum onere fideicommissi, vel primogenituræ non imputatur, & de ratione.*
14 *Primogenituræ, & majoratus exemplificantur cum beneficiis.*
15 *De alia ratione conclusionis, de qua n.* 13.
16 *Expensum pro titulo, vel dignitate non imputatur.*
17 *De decisionibus super imputatione pretii Clericatus Cameræ.*
18 *De imputatione feudi novi, de qua n.* 5.
19 *De circumstantiis facti, ex quibus desumatur voluntas imputationis.*
20 *Habens pro se regulam dicitur habere intentionem fundatam.*

21 *Ad-*